


DE

TERMINIS ET TERMINATIONIBUS



APUD ROMANOS

SCRIPSIT

E BESSEM.



GRONINGAE, APUD J. B. WOLTERS, 1901.

DE
TERMINIS ET TERMINATIONIBUS
APUD ROMANOS

SPECIMEN INAUGURALE

QUOD

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

GUILIELMI KAPTEYN

PHIL. NAT. DOCT. IN FAC. PHIL. PROF.

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE ET LITTERARUM DECRETO

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN LITTERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA

HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS FACULTATIS EXAMINI PROPONET

EVERT BESSEM

E PAGO DE LEMMER

D. XIV M. IVNII A. MCMI HORA IV P. M.

GRONINGAE, APUD J. B. WOLTERS, 1901.

STOOMDRUKKERIJ VAN J. B. WOLTERS.

MATRI UXORIQUE CARISSIMIS.

Vobis omnibus, Viri Clarissimi, quorum institutione mihi contigit frui, toto animo publice gratias ago.

Tibi imprimis, clarissime VAN DER VLIET, *promotor aestimatissime, quanta debeam, gratissimo animo recordor; tempori neque labori pepercisti, ut in hoc opusculo perscribendo mihi adesses. Benevolentiae tuae, quam totiens sum expertus, numquam obliviscar.*

Tibi etiam, clarissime VAN HERWERDEN, *cuius lectionibus interfuisse mihi semper honori erit, gratiam habeo sinceram.*

Tuam erga me, clarissime KRAEMER, *iam in Gymnasio humanitatem et benevolentiam cognovi, multumque et tibi debeo.*

Nec minus te, clarissime VAN DER WIJCK, *nominatim appello, qui et ipse de me bene es meritus.*

Te, clarissime NABER, *qui hoc argumentum mihi indicavisti, ducem secutus, opus confeci, quod spero credoque, non inutile. Saepe mihi liceat auxilium tuum invocare. Humanitatis tuae memoria ex animo non evanescet.*

Termine, finipotens, immobilitatis imago,
  Concessisse negant te tua templa Iovi.
Heu, tum magnus eras: tibi quisque virentia serta,
  Liba die festo, vinaque tusque dabat.
Troiugenae gentis sed enim te quisque colebat,
  Seu metibatur, sive colebat agros.
Camporum custos, anno insuper imperitabas,
  Sicut ubique arvis, huic quoque finis eras.
Sed sensim, crescente aevo, tibi cultus honorque
  Imminuebantur: sorduit ara tua.
Mars retrograditur: iam Ianus praesidet anno,
  Ereptusque tibi turpiter exitus est.
Cum migrante fide cessisset turba deorum,
  Montibus in summis iam modo tutus eras.
Ruricolae „paganorum" tua sacra vocabant,
  Nominis obliti, tam grave quod fuerat.
Unus adhuc superest qui se tibi praestat amicum,
  Pulvere qui tectum comit amatque deum:
Parva rogatque ut si dignere reponere magnis,
  Adsis praesidium dulce decusque sibi.

E Corpore Inscriptionum Latinarum terminorum inscriptiones collecturus, prius tamen omnia quae de terminis ex scriptoribus innotuerunt, in unum libellum componere non inutile iudicavi.

Neque enim ab omni parte perfecta et absoluta sunt quae de terminis Rudorff in Gromaticis Institutionibus conscripsit, ita ut paucis quidem augeri possint, neque opinione mea supervacaneum est iterum diligentius omnia perscrutari quae de terminis sunt nota, praesertim igitur scriptores gromaticos, qui fontem praebent uberrimum. Optimam et novissimam eorum editionem, quae curantibus Blume, Lachmann, Rudorff, Berolini (1848—52) in lucem prodiit, saepissime citabo, nonnumquam omisso nomine auctoris, qui saepe ignotus est, saepe minimi momenti, indicata tantum pagina et versu. Sed et vetustiorem Goesii et Rigaltii editionem non omnino omisi, quippe quae explicet aut explicare conetur de quibus posteriores tacent, neque inepta saepe afferat.

Postea vero his addere quae nos docent Inscriptiones, fons novissimus, in animo habeo. Non facile igitur ex aliis fontibus praeter scriptores, quicquam addidi, nisi ubi utilitas magnopere suadebat.

Nemini scriptorum gromaticorum vel minime perito ignotum est quam multis aenigmatis pleni sint, neque mirabitur quisquam quod paucis modo locis lucis aliquid afferre mihi contigerit.

Ea quae sunt tractanda unum praesertim habent vinculum, quod cum terminis cohaerent, atque ad eorum usum et religionem illustrandam pertinent: quodsi non artissime capita huius opusculi sunt coniuncta, venia detur materiae.

TESTIMONIA DE ANTIQUISSIMIS TERMINATIONIBUS.

Ne identidem rixae et contentiones oriantur, certis et rite constitutis finibus describendum est quo usque pateant territoria populorum, neque minus possessiones privatorum. Principio rerum nullam tranquillitatem oriri potuisse priusquam fines regi coepti sint, per se liquet: facile igitur est intellectu priscos reges et legislatores huic rei in primis consuluisse.

Iam Hebraeis, qui ab Aegyptiis didicerunt, mos erat agros lapidibus inter se dividendi, quique hos lapides amoverant, gravissimis poenis afficiebantur, ut apparet ex Deuteronomii cap. *19* v. *14* et cap. *27* v. *17;* etiam sunt conferenda verba Salomonis in Proverbiis cap. *22* v. *28* et cap. *23* v. *10.*

Deut. 19 : 14. *Non assumes et transferes terminos proximi tui, quos fixerunt priores in possessione tua, quam Dominus Deus tuus dabit tibi in terra quam acceperis possidendam.*

Deut. 27 : 17. *Maledictus qui transfert terminos proximi sui et dicet omnis populus: amen.*

Prov. 22 : 28. *Ne transgrediaris terminos antiquos quos posuerunt patres tui.*

Prov. 23 : 10. *Ne attingas parvulorum terminos et agrum pupillorum ne introeas.*

Verba haec sumpta sunt ex Bibliorum Sacrorum vulgata editione Pii VI P. M. iussu recognita et edita (1630).

Prorsus his consentiunt quae PLATO dicit in Legibus libro VIII, 842e et 843a et b.: *Διὸς ὁρίου μὲν πρῶτος νόμος ὅδε εἰρήσθω· μὴ κινείτω γῆς ὅρια μηδεὶς μήτε οἰκείου πολίτου γείτονος μήτε ὁμοτέρμονος ἐπ᾽ ἐυχατιᾶς κεκτημένος ἄλλῳ ξένῳ γειτονῶν, νομίσας τὸ τἀκίνητα κινεῖν ἀληθῶς τοῦτο εἶναι, βουλέσθω δὲ πᾶς πέτρον ἐπιχειρῆσαι κινεῖν τὸν μέγιστον ἄλλον πλὴν ὅρον μᾶλλον, ἢ σμικρὸν λίθον ὁρίζοντα φιλίαν καὶ ἔχθραν ἔνορκον παρὰ θεῶν · τοῦ μὲν γὰρ ὁμόφυλος Ζεὺς μάρτυς, τοῦ δὲ ξένιος, οἳ μετὰ πολέμων τῶν ἐχθίστων ἐγείρονται. Καὶ ὁ μὲν*

πεισθεὶς τῷ νόμῳ ἀναίσθητος τῶν ἀπ' αὐτοῦ κακῶν γίγνοιτ' ἄν, καταφρονήσας δὲ διτταῖς δίκαις ἔνοχος ἔστω, μιᾷ μὲν παρὰ θεῶν καὶ πρώτῃ, δευτέρᾳ δὲ ὑπὸ νόμου. μηδεὶς γὰρ ἑκὼν κινείτω γῆς ὅρια γειτόνων · ὃς δ' ἂν κινήσῃ, μηνυέτω μὲν ὁ βουλόμενος τοῖς γεωργοῖς, οἱ δὲ εἰς τὸ δικαστήριον ἀγόντων · ἢν δέ τις ὄφλῃ τὴν τοιαύτην δίκην, ὡς ἀνάδαστον γῆν λάθρα καὶ βίᾳ ποιοῦντος τοῦ ὀφλόντος, τιμάτω τὸ δικαστήριον ὅ τι ἂν δέῃ πάσχειν ἢ ἀποτίνειν τὸν ἡττηθέντα.

Croesus quoque tali modo fines imperii sui indicavit, ut legimus apud Herodotum VII : 30: ἐκ δὲ Κολοσσέων ὁ στρατὸς (sc. exercitus Xerxis) ὁρμώμενος ἐπὶ τοὺς οὔρους τῶν Φρυγῶν καὶ Λυδῶν ἀπίκετο εἰς Κύδραρα πόλιν, ἔνθα στήλη καταπεπηγυῖα, σταθεῖσα δὲ ὑπὸ Κροίσου, καταμηνύει διὰ γραμμάτων τοὺς οὔρους.

Tempus quo Graeci coeperunt pascua et agros, ex quibus imprimis victum quaerebant, certis finibus, distincte indicatis, dividere, scripta monumenta et testimonia antecedit. Iam tempore Homeri aderant, cf. Iliad. *Φ*. 403 sqq. ubi Minerva Martem lapide tali percutit:

ἡ δ' ἀναχασσαμένη λίθον εἵλετο χειρὶ παχείῃ
κείμενον ἐν πεδίῳ, μέλανα, τρηχύν τε μέγαν τε,
τόν ῥ' ἄνδρες πρότεροι θέσαν ἔμμεναι οὖρον ἀρούρης.

Solon ipse (Plutarchus. Solon c. 15) σεμνύνεται ὅτι τῆς προϋποκειμένης γῆς

ὅρους ἀνεῖλε πολλαχῆ πεπηγότας
πρόσθεν δὲ δουλεύουσα νῦν ἐλευθέρα.

Ex his versibus, qui spectant ad σεισάχθειαν, luculenter demonstrari potest eius temporibus artem terminandi iam fuisse excultam, compluraque genera lapidum terminalium nota et in usu fuisse.

Apud Romanos, gentem Graecis multo minus cultum, si eadem quidem tempora ex utriusque historia inter se conferuntur, Numa rex dicitur primus rebus agrariis consuluisse. Nascentem enim urbem Romulus contra exteras nationes armaverat, aetate magis pacata cultus deorum et ea quae ad interiorem rei publicae statum pertinent, erant constituenda. Sed audiamus Plutarchum (Numa. cap. XVI, 1 et 2), qui de Numa narrat:

Πρῶτον δέ φασι καὶ Πίστεως καὶ Τέρμονος ἱερὸν ἱδρύσασθαι. Καὶ τὴν μὲν Πίστιν ὅρκον ἀποδεῖξαι Ῥωμαίοις μέγιστον, ᾧ χρώμενοι μέχρι νῦν διατελοῦσιν · ὁ δὲ Τέρμων ὅρος ἄν τις εἴη, καὶ θύουσιν αὐτῷ

δημοσίᾳ καὶ ἰδίᾳ κατὰ τοὺς τῶν ἀγρῶν περιορισμούς, νῦν μὲν ἔμψυχα, τὸ παλαιὸν δὲ ἀναίμακτος ἦν ἡ θυσία, Νομᾶ φιλοσοφήσαντος, ὡς χρὴ τὸν ὅριον θεὸν εἰρήνης φύλακα καὶ δικαιοσύνης μάρτυν ὄντα φόνου καθαρὸν εἶναι. Δοκεῖ δὲ καὶ ὅλως αὐτὸς ὁρίσαι τὴν χώραν ὁ βασιλεύς.

Sed etiam c. 15 Quaestionum Romanorum utilia docet: *Διὰ τί τὸν Τέρμινον, ᾧ τὰ Τερμινάλια ποιοῦσι, θεὸν νομίζοντες, οὐδὲν ἔθυον αὐτῷ ζῷον; ἢ Ῥώμυλος μὲν ὅρους οὐκ ἔθηκε τῆς χώρας, ὅπως ἐξῇ προϊέναι καὶ ἀποτέμνεσθαι καὶ νομίζειν πᾶσαν ἰδίαν, ὥσπερ ὁ Λάκων εἶπεν, ἧς ἂν τὸ δόρυ ἐφίκηται· Νουμᾶς δὲ Πομπίλιος ἀνὴρ δίκαιος καὶ πολιτικὸς ὢν καὶ φιλόσοφος γενόμενος τήν τε χώραν ὡρίσατο πρὸς τοὺς γειτνιῶντας καὶ τοῖς ὅροις ἐπιφημίσας τὸν Τέρμινον ὡς ἐπίσκοπον καὶ φύλακα φιλίας καὶ εἰρήνης ᾤετο δεῖν αἵματος καὶ φόνου καθαρὸν καὶ ἀμίαντον διαφυλάττειν.*

Idem fere de Numa narratur a Dionysio Halicarnasensi (Antiq. Rom. II. c. 74, 2—5):

Κελεύσας γὰρ ἑκάστῳ περιγράψαι τὴν ἑαυτοῦ κτῆσιν καὶ στῆσαι λίθους ἐπὶ τοῖς ὅροις ἱεροὺς ἀπέδειξεν ὁρίου Διὸς τοὺς λίθους, καὶ θυσίας ἔταξεν αὐτοῖς ἐπιτελεῖν ἅπαντας ἡμέρᾳ τακτῇ καθ᾽ ἕκαστον ἐνιαυτὸν ἐπὶ τὸν τόπον συνερχομένους, ἑορτὴν ἐν τοῖς πάνυ τιμίαν τὴν τῶν ὁρίων θεῶν καταστησάμενος. (3) *Ταύτην Ῥωμαῖοι Τερμινάλια καλοῦσιν ἐπὶ τῶν τερμόνων καὶ τοὺς ὅρους αὐτοὺς ἑνὸς ἀλλαγῇ γράμματος παρὰ τὴν ἡμετέραν διάλεκτον ἐκφέροντες τέρμινας προσαγορεύουσιν. Εἴ δέ τις ἀφανίσειεν ἢ μεταθείη τοὺς ὅρους, ἱερὸν ἐνομοθέτησεν εἶναι τοῦ θεοῦ τὸν τούτων τι διαπραξάμενον, ἵνα τῷ βουλομένῳ κτείνειν αὐτὸν ὡς ἱερόσυλον ἥ τε ἀσφάλεια καὶ τὸ καθαρῷ μιάσματος εἶναι προσῇ.* (4) *Τοῦτο δ᾽ οὐκ ἐπὶ τῶν ἰδιωτικῶν κατεστήσατο μόνον κτήσεων τὸ δίκαιον, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ τῶν δημοσίων, ὅροις κἀκείνας περιλαβών, ἵνα καὶ τὴν Ῥωμαίων γῆν ἀπὸ τῆς ἀστυγείτονος ὅριοι διαιρῶσι θεοὶ καὶ τὴν κοινὴν ἀπὸ τῆς ἰδίας. Τοῦτο μέχρι τῶν καθ᾽ ἡμᾶς χρόνων φυλάττουσι Ῥωμαῖοι [τοῦ χρόνου] μνημεῖα τῆς ὁσίας αὐτῆς ἕνεκα. Θεούς τε γὰρ ἡγοῦνται τοὺς τέρμονας καὶ θύουσιν αὐτοῖς ὁσέτη τῶν μὲν ἐμψύχων οὐδὲν (οὐ γὰρ ὅσιον αἱμάττειν τοὺς λίθους) πελάνους δὲ δημητρίους καὶ ἄλλας τινὰς καρπῶν ἀπαρχάς.*

Cum his conveniunt verba Ciceronis Rep. II. 14. 26: *Primum* (Numa) *agros, quos bello Romulus ceperat, divisit viritim civibus.*

Sed in Latio iam diu terminos notos fuisse apparere videtur ex verbis Vergilianis XII. 895:

Saxum antiquum, ingens, campo quod forte iacebat
Limes agro positus, litem ut discerneret arvis.

Hunc lapidem Turnus in Aeneam iacit.

Hactenus quae inveni testimonia de iis qui apud antiquos populos primi cippos terminales erigendo vel simili ratione agros dividendo incultos populos iure devinxerunt.

DE VARIIS FINITIONUM GENERIBUS.

Non semper et ubique homines ipsi fines constituerunt, interdum etiam numina hoc munere functi esse videntur: Audiamus Agennium Urbicum 61, 15 sqq: (*mundus*) *dividitur in quattuor partes, quarum una inter Atlanticum et eoum mare meridiano ac septentrionali clauditur Oceano, habitabilis atque cognita: appellatur a Graecis oecumene . . . . contraria autem pars parti oecumene finitur Oceano Atlantico atque eoo, et inter meridianum et australem cohibetur Oceanum: appellatur antoecumene. post Oceanum septemtrionalem atque australem duae terreni partes meridiano diffinduntur Oceano: quarum Graeci austro propiorem antictonon* (*ἀντιχθόνων*) *appellaverunt; alteram propiorem septentrioni antipodon* etc. Igitur divisionem totius mundi ab ipsis deis esse factam demonstare voluit auctor. Sed etiam in minores partes mundum dei discripserunt: *Ultra Istrum Dacus non exit. Strymon et Haemus Thracas includit. Parthis obstat Euphrates. Danubius Sarmatica ac Romana disterminat. Rhenus Germaniae modum facit. Pyrenaeus medium inter Gallias et Hispanias iugum extollit. Inter Aegyptum et Aethiopas arenarum inculta vastitas iacet*[1]. Sic *Italiam Alpibus natura munivit*[2], simulque terminavit, ut fines Helvetiorum *flumine Rheno*, *monte Iura*, *lacu Lemanno*, *flumine Rhodano esse contentos* Caesar narrat[3]. Ager qui dicitur arcifinius his tantum finibus terminatur, qui uno nomine *natura loci* vel *naturae locorum* nuncupantur. Pas-

---

1) Seneca Natur. Quaest. Prolog § 8.
2) Cic. de prov. cons. 14. 34.
3) Caesar B. G. I. 2, 3.

sim apud Gromaticos haec verba inveniuntur, multos horum locos collegit Bursian in Indice verborum s.v. natura loci[1]), ubi vide. Ut de maribus[2]), quae insulas cingunt, taceam, hi fines consistunt in montibus aut in fluviis.

Est tamen consentaneum naturam in finibus indicandis ab ipsis hominibus esse adiutam vel potius coactam ut eorum voluntati serviret. Ita et silvis, agrorum cultura, arboribus, tutelis, viis fines reguntur. Postremo ubi nullo modo natura homini adesse poterat, operibus manu factis 336, 11 (*opera manuum* 3, 8, *ars et opus factoris* 321, 30), vel terminis territoria et agri sunt secernendi, ne fines eorum turbentur.

De harum finitionum generibus singillatim erit agendum, agamque eodem ordine, quem secutus est Rudorff Grom. Inst. II. p. 255 sqq. quem ubi potero supplebo.

Hyginus (De condicionibus agrorum 114, 16 sqq.) exemplum dat descriptionis finium territorii cuiusdam, ex quo optime videri potest quomodo in publicis instrumentis describerentur territoria: *Ex colliculo qui appellatur ille ad flumen illud, et super flumen illud ad rivum illum, aut viam illam, et per viam illam ad infima montis illius, qui locus appellatur ille, et inde per iugum montis illius in summum et super summum montis per divergia aquae ad locum qui appellatur ille, et inde deorsum versus ad locum illum et inde ad compitum illius, et inde per monumentum illius ad locum unde primum coepit scriptura esse.* (Eadem verba habet Agennius Urbicus p. 19, 20 sqq.). Huiusmodi documenta habemus plura, e. g. Q. et M. Minuciorum sententiam de finibus inter Genuates et Viturios dictam (vulgo dictum S. C. de Genuatibus)[3]) ex anno a. Chr. n. 116°. (u. c. 637°.), quae eodem modo est conscripta, adiectis nominibus montium, fluviorum, regionum, et saepissime intervenientibus verbis: *ibi terminus stat.* Gromaticorum loci, ubi praecipue varia genera terminationum enumerantur, hi sunt: 2, 24—30. 4. 21—24. 5, 6—9.

---

[1]) Etiam Caesar B. G. I. 2. 3: *Undique natura loci Helvetii continentur. Proximitas naturalis* invenitur 38. 12 et 68. 5.

[2]) Cf Hor. Carm. I. 3. 21: *nequicquam deus abscidit-Prudens Oceano dissociabili-Terras.*

[3]) C. I. L. V. n. 7749 (Orelli n. 3121.)

25—27. 12, 4—7. 17—21. 13, 5. 6. 41, 10—13. 72, 17—21. 115, 9—14. 126, 9—19. 138, 18—139, 8. 151, 23—25. 240, 18—242, 3. 261, 26—262, 5. 348, 19—350, 16. etc. 400, 21—403, 4. Multis praeterea locis tantum de terminis agitur, quos enumerare non necesse est, quia occasione data ad eos redibimus.

DE MONTIBUS.

Plinius dicit *montes separandis gentibus pro terminis esse constitutos* [1]), queriturque quasi Horatiana usus veritatis superlatione [2]), nunc eos caedi in mille genera marmorum, atque *ita rerum naturam agi in planum.* Ipsa enim natura valles apricosque clivos ad agri vitiumque culturam destinavisse videtur, cum sibi servaret iuga nivibus tecta vel saltibus invia. Hic finis procedit *iugo recto* vel quod etiam dicitur *per iugum montis* (19, 24. 114, 20), idem igitur est atque *divergium aquae: ex quo summo loco aqua in inferiorem partem devergit:* 128, 13 sq.: Facile hi fines inveniuntur: loca ubi rivi et fontes incipiunt saepe sacellis indicantur (19, 29. sqq., 115, 2. 3.), fontium capita sacra sunt [3]). Illic igitur simplicissima quaeque signa usum praebent utilem, signa in petris incisa e. g., sed etiam *foveae.*

Foveae in quibus feras venamur [4]) apud Gromaticos nominantur: 258, 1. 347, 25. 401, 20. 338, 9 legimus: *cecteria quod est fovea rotunda*, aliud genus hoc foveae esse apparet.

Idem vel simile verbum invenimus: 333, 19 — *cecturium;* 334, 15 — *cectoria, hoc est rotundus est sicut modius. est fossa circa publica;* 337, 13 *cectoria ecclesiae eius;* 337, 9 *lapides nativos qui est exsolute cectoriales.* Du Cange in glossario s.v. *cectorium* citat Salmasium ad Inscr. Herodis p. 51: *cectoria pro hectoria, ἕκτον enim modius Graecis*, et ipse addit: *unde hectorium vel*

---

1) Plin. H. N. 36. 1. 2. cf. 402. 6: *nam et ipsi montes omnino loca determinant.*

2) In mentem veniunt e. g. Carm. II. 15. 1: *Iam pauca aratro iugera regiae moles relinquent* et III. 1. 33. *Contracta pisces aequora sentiunt Iactis in altum molibus.*

3) Hor. Carm. I. 1. 22, Seneca Epist. mor. 41. 3 (IV. 12. 3.).

4) Plin. H. n. 10. 38. 54.

cectorium illis auctoribus (sc. Gromaticis) *quod rotundum est sicut modius, ut fossae rotundae.*

Modius etiam legitur 334, 16. 17. 18 et 336, 23 *terminus qui modius appellatur*, videtur terminus vel vas aliquod fuisse quod modii habebat formam. Sed Goesius in Indice de verbo *cectoria*: ,,videtur a cingendo nomen trahere, limes scilicet vel linea, quae fundum territoriumve cingit vel ambit.'' igitur quasi *cinctorium?*

Sed etiam *petrae notatae* in montium iugis finem clare indicant, ut 198, 20: *si fuerit mons asper et confragosus, per singulas petras finitimas notas inponemus et ubi potuerit inscriptiones.* Apud Gromaticos inveniuntur:

12, 21. 126, 16. 140, 7 — *petrae notatae*; 142, 27. 28. 151, 15. 16 — *petrae naturalis notatae*; 240, 19. 400, 24 — *petrae signatae*; 228, 13 — *petrae nativae signatae*; 256, 11 — *petrae naturales signatae;* 242, 1. 402, 1 — *petrae quadratae inscriptae* (ex similitudine locorum apparet etiam 402, 1. pro *et scriptae*: *inscriptae* esse legendum); 282, 3. 309, 2. 4. 6. 9 — *petra naturalis;* 342, 23 *petrae taxatae non perdolatae a ferro*; his iungenda sunt *saxa* 228, 14; *petrae* simpliciter dictae 241, 4. 401, 5; *naturales lapides*: 262, 2 (*signati*). 307, 1. 342, 16. 346, 7.

140, 7 nos docet *petras occurrentes in finibus aliquando notatas inveniri, et quasdam, si perseveret rigor, notas habere, in versuris vero gammas, sed spectantes suos rigores, aliquas etiam decusatas inveniri.* 282, 3 docet *exceptas petras aut decus habere aut lineas.*

Montes ipsi saepissime apud gromaticos finales esse dicuntur.

Summa montium: 12, 6. 19, 25. 114, 20. 239, 9. 240, 20. 400, 24.

Montes: 5, 8. 25. 41, 10. 56, 6. 72, 17. 87, 3. 181, 2. 369, 17. 402, 6.

Finis montanus 323, 16.

Aquarum divergia: 5, 8. 26. 19, 25. 41, 10. 72, 18. 103, 15. 114, 21. 115, 13. 126, 11. 128, 13. 134, 1. 163, 22. 240, 3. 254, 15. 282, 23. 347, 19. 395, 14. 396, 18. 410, 3.

Aquivergium: 315, 17. 325, 8. 336, 29.

Iuga montium: 2, 26. 12, 28. 19, 24. 56, 3. 87, 1. 103, 15. 115, 10. 126, 11. 128, 11. 133, 23. 163, 21. 240, 2. 254, 14. 255, 26. 256, 10. 318, 30. 362, 22. 408, 26. 409, 10. 410, 1.

praeterea: 43, 1 *summum iugum*; 320, 28 *iugalis finis*; 321, 16 *iugalis corrigia*[1]); 363, 18 *collis rigura hoc est iugum.*

Passim nomen ipsum iugi explicatur, citabo 2, 26: *iuga montium quae ex eo nomine accipiuntur quod continuatione ipsa iugantur.* Quod 410, 1 legitur *consignatione* ex *continuatione* corruptum esse videtur. Versu 3 eiusdem paginae *diversarum aquaram* in *divergia aquarum* erit mutandum cf. 128, 13 sqq.

Promuntoria 12, 5.

Quid sit supercilium etiam a gromaticis docemur: Siculus Flaccus p. 143, 3 sqq.: *Supercilia de quibus mentionem habui, si finem facient, intuendum erit in quantum spatium devexitas supercilii extendatur, ne mons supercilium sit: intra paucos enim pedes supercilia vocabula accipiunt.* Quot sint pedes dicit Hyginus 128, 15 sqq.: *Si superciliis, quae loca sunt ex plano in brevi clivo devexa intra pedes altitudinis XXX, alioquin iam collis est.*

Siculus Flaccus ita pergit 143, 6 sqq.: *Quae tamen usque in planitiam ex superiori vergunt, ad superiores possessores pertinent. Quicquid enim inferior possessor in solo suo agit, damno superioris fit. Sive aret sive fodiat, detrahit pendentes ex superiori terras. Si vero congerat ant adiciat quid, ad superiora non ascendit. Ita haec causa efficit ut superioribus possessoribus usque in planitiam supercilia cedant.*

Eadem aliis verbis leguntur 42, 14—43, 3; 73, 21—34; 128, 17—20. Quod 42, 20 et 73, 27 scriptum est *in agro arcifinio* corruptum est pro *superiacente* vel *superiore.*

Etiam *vertices agrorum* fines indicant. Qui sint, nos docet Dolabella 302, 4 sqq., cuius verba mihi videntur meliorem sensum praebere, si paucis mutatis ita leguntur (vide appendicem criticam): *Vertices agrorum qui sunt? Si sunt in montibus lapides tantum modo, et non potest in eis fodiri et terminus fingi: inductum a quadratariis ut naturaliter dolantes in montibus ex monte terminum eminentem monti constituerent, quod firmius esset, quam si cavarent et sic infigerent lapides finales. Ideoque*

---

1) Du Cange s. v.: apud Innocentium Agrimensorem: montem in medio usque in iugalem corrigiam permittit. Is est qua parte mons vel collis in iugum se erigit. verba ultima sunt Rigaltii ad pag. 230 ed. Goesii.

vertices agrorum, quod sicut verticem in capite humano natura prestitit, sic et in montibus mensores docti instituerunt, ut essent vertices agrorum qui in montibus lapides naturales sunt. Quod 361, 9. 10 legitur: *Terminum de lapide decisa viva invenies et pro termino habebis* idem indicat quod verbo *agrorum verticis* nobis proponit Dolabella.

Unde apparet etiam in montibus interdum terminos fuisse ponendos et re vera esse positos, vide e. c. 199, 7. 219, 6. 240, 1. 242, 2. 348, 1. 352, 17. etc.

Facete Rudorff in annotatione 73[a]. (p. 256) dicit antiquitus montes quasi pro gigantibus fuisse qui populos dirimerent, et confert eas partes montis et corporis humani quae iisdem nominibus sunt praeditae: clivus montis a posterioribus gromaticis appellatur *iugalis corrigia* (321, 16) et *latera* (321, 29), *dorsum* legitur 352, 17, *pedes* pro *radicibus* quae vulgo dicuntur Amm. Marc. 14. 8 in medio. *Vertices agrorum* (302, 4 sqq.) eandem ostendunt translationem. *Supercilium* dicitur minus alta locorum elatio ut loci infra p. 30 enumerati demonstrabunt. Auctor bell. Afr. 58 supercilium dicit de flumine, item Amm. Marc. 14. 10[1]). Conferatur et Ovidius met. IV. 656 sqq. qui describit Atlantem in montem mutatum. Rigaltius in observationibus ad pag. ed Goesii 220[am].: dicunt isti mensores montis pedem et crepidinem, et corrigiam, et suram, et iugum et supercilium et verticem.

Sura legitur: 240, 1. 254, 13. Rigaltius ad pag. 120: montis autem sura dicitur extumida pars a vertice et iugo, quae parturire videtur. Et in veteribus glossis surae dicuntur γαστροκνημίαι: quasi ventriculi.

Summa montium saepe tutelae numinis alicuius esse commissa ostendit etiam 239, 10 sqq. ubi narratur Venafri *summa montium iure templi Ideae ab Augusto esse concessa.* Arcerianus codex h. l. habet *deae*, pro quo Mommsenus[2]) suspicatur *Dianae*, quia dedicatio magnae matri ab Augusto facta, ei non verisimilis esse videtur. Sed etiam aliunde notum est summos montes sacrificiis deorumque cultui semper fuisse destinatos. Similem usum

---

1) Cf. Amm. Marc. 14. 8 supercilia Nili; 14. 10 Rheni; 23. 3 supercilia riparum fluvialium; App. Met. V. 25 supercilium amnis.

2) Mommsen Zeitschr. für gesch. Rechtswiss. XV. p. 290 in ann. 2[a].

designant etiam Christiani auctores inter gromaticos, ubi *sacra paganorum* alicubi inveniri dicunt, haec enim plerumque in locis longe conspicuis adsunt cf. 309, 12. 317, 5. 20. 320, 31. 323, 27. 329, 1. 365, 27. Hic *domini inter quos fines dirimebantur sacrificium faciebant* 141, 16 sqq.

Cum inter Delphos et Anticyram fines regerentur, duo montes qui finem indicarent, sunt constituti, ut nos docet inscriptio quae servata est[1]): *Quod naturales in utroque monticulo lapides extant, quorum in altero graeca inscriptio, quae significat Delphicum terminum hunc esse, adhuc manet, cui vetustas fidem faciat. in altero fuisse eandem inscriptionem vestigia docent: quae monumenta collata fines sacrae terrae manifestant adtendenti, ita ut ab illis dextra Anticyrensium, laeva sacra regionis Delphorum sint.*

Etiam in Graecia in divergiis aquarum termini inventi sunt e. g. in Taygeto, qui hanc inscriptionem habet: *ὅρος Λακεδαίμονι πρὸς Μεσσήνην* alterque qui eundem praebet titulum. Ab agricolis eius loci dicebatur *γραμμένη πέτρα*[2]) ut vulgo gromatici dicunt: *inscriptus lapis* vel *signata petra.* Sed priusquam de his disserere pergamus non inutile est audire quid posterioribus in hac re placuerit. Testis nobis erit Grimm Deutsche Rechtsalterthümer (4e aufl. von Neusler und Hübner 1899), ubi p. 69 sqq. de finibus agitur. Raro, ait, flumina, plerumque montes et silvae populos inter se dividebant, et complura affert exempla, velut silvam inter Polonos et Ungaros, inter Scotiam et Brittanniam. Inter territoria saepius flumina vel silvae intererant, privatorum autem possessiones viis, sepibus, collibus, fossis, palis necnon lapidibus erant distinguendae. Etiam arboribus quas conspicuas faciebant *evidentia signa*, vel *notae evidentes.* Inter haec signa *similitudo lunae in vertice rupis ad Rhenum* memorabile est.

Lex Visig. X. 3 *aggeres terrae sive arcas quas propter fines fundorum antiquitus apparuerit fuisse constructas atque congestas, lapides etiam, quos propter indicia terminorum notis evidentibus constiterit esse defixos.* Etiam in Germania saepissime tres lapides in unum ponebantur cf. 353, 4.

---

1) C. I. L. III. n. 567 et add. (Orelli 3671).
Boeckh C. I. G. n. 1711. Vol. I. p. 835.

2) Ross. Reisen im Peloponnes I. p. 39.

In arboribus *decusses* et *incisiones* erant factae, *clavi fixi.* Etiam *cruces* defigebantur, sicut 348, 24 sqq. et hic interdum *pontes* (vide p. 13) in finibus erant — omnia denique quae apud Romanos vidimus aut videbimus, etiam apud eos in usu erant. Sed transeamus ad caetera.

DE FLUMINIBUS.

Sicut populos saepissime montes terminant, ita in eiusdem populi finibus saepe flumina dividunt inter se territoria urbium, sed, ut res ipsa docet, et iurisdictionis privatorumque agrorum termini esse possunt.

Praeclara exempla praesto sunt: in primis revocandus est locus Senecae Natur. Quaest. Prolog. § 8, quem citavi pagina 5; ipsum Romanorum imperium terminaverunt Rhenus, Danuvius et pro parte Euphrates; provinciarum imperii Romani saepe flumina pro finibus sunt, e. g. Tusca flumen inter Numidiam et Africam quae proprie vocatur interest[1]; ut cuique notum est usque ad tempora Augusti nomine Italiae eae regiones comprehendebantur, quae sitae erant citra flumina Rubiconem et Macram, et fluviis Silaro et Frentone Italia Inferior finiebatur. Etiam Agennius Urbicus p. 62, 10 sqq.: *dividit Asiam ab Europa Tanais, a Libya Nilus.* Notum est antiquitus *Phasim* flumen terminum Asiae et Europae dictum esse. Sed innumerabilia huiuscemodi exempla adferri possunt.

Plerumque finis fluvium sequitur usque ad locum ubi cum altero confluit, rarius usque ad mare ipsum (vide Siculum Flaccum p. 150, 12 sqq.: *quidam enim rivi ab origine, id est a capite, donec in mare defluant, fines possessionibus praestant*), tum finis procedit *rivo recto*, ut nuncupatur, i. e. sequitur medium alveum.

Ipsum flumen iuris est publici[2], *sed si naturali alveo in universum derelicto alia parte fluere coeperit, prior quidem alveus eorum est qui prope ripam eius praedia possident, pro modo*

---

[1]) Liv. 34, 13. 8. Mela I. 4. Plin. H. N. V. 3(2), et V. 4(3).

[2]) § 2 Iust. Instit. II. 1; L. 4 § 1 D. I. 8. et L. 5 pr. eiusdem tituli.

scilicet latitudinis cuiusque agri, quae latitudo prope ripam sit: novus autem alveus eius iuris esse incipit, cuius et ipsum flumen, id est publicus[1]).

Tale quid in agro tantum arcifinio fieri potest: in agro enim limitato limes finem indicat, qui mutari non potest.

Saepissime in gromaticorum scriptis flumina fines regere dicuntur, item alvei, rivi, fontes etc. Etiam pontes: 348, 26 *interdum trifini, interdum quadrifini, aliquando pentagoni recipiunt rationem. et hoc si exegerit loci commoditas. hi vero pontes hac ratione deserviunt, quorum alvea proximae eos fines ultro citroque non transmittunt per quos et itinera publica currunt quibus limis lege colonica servit. nam sunt et alii pontes in vicinalibus et privatis viis quorum alvea variantur. quae tamen in trifinii rationem ex convenientia limitum atque signorum cursus frequenter accipi possunt.* praeterea: 361, 25 (*pons marmoreus*), 361, 26 (*p. de lapide vivo*), 361, 27 (*p. ex calce factus*).

Flumina vel fluvii: 2, 25. 4, 22. 5, 7. 25. 12, 6. 13, 5. 14, 16. 19. 19, 21. 22. 114, 8. 17. 115, 10. 118, 12. 119, 1. 131, 21. 132, 3. 163, 21. 252, 6. 253, 23. 255, 26. 256, 10. 257, 23. 326, 20. 332, 18. 333, 23. 349, 12. 362, 4. 363, 9. 365, 5 sqq. 369, 17. 409, 14. 410, 20. 414, 10. Etiam 48, 15 et 79, 12 *parva flumina* partes silvarum circumdant, ubi 15, 16 corruptum est *funes.*

Flumicellum: 318, 13. 14.

Alveus: 310, 7. 21. 311, 12. 14. 21. 26. 30. 312, 5. 6. 13. 14. 17. 25. 28. 313, 7. 9. 17. 22. 314, 6. 7. 8. 9. 12. 15. 20. 315, 7. 316, 9. 14. 15. 16. 317, 1. 11. 17. 18. 19. 26. 27. 33. 318, 3. 9. 22. 319, 4. 22. 320, 2. 8. 15. 23. 24. 321, 5. 6. 21. 322, 5. 12. 16. 20. 27. 323, 9. 15. 16. 324, 8. 333, 30. 343, 17.

Rivi: 12, 18. 19, 22. 23, 31. 58, 4. 114, 18. 126, 11. 128, 8 sqq. 138, 19. 150, 7 sqq. 151, 24. 217, 10. 227, 8. 241, 11. 15. 252, 19. 253, 15. 22. 255, 11. 26. 256, 10. 257, 23. 258, 11. 259, 26. 260, 5. 262, 1. 310, 13. 312, 5. 316, 17. 29. 30. 317, 27. 323, 21. 25. 324, 10 sqq. 16. 23 sqq. 332, 18. 333, 24. 334, 18. 335, 12. 343, 14. 345, 10. 349, 12. 362, 5. 363, 3. 9. 31. 365, 14 sqq. 401, 14.

Lacus: 228, 24 (lacos). 311, 20. 342, 21. 401, 21 (lacos).

Stagnus finalis: 365, 22. 24 ibidem versu 22. etiam *lacunar quae*

---

1) § 23 Inst. Instit. II. 1.

interpretatur aqua viva unde ipse stagnus exiet. Cf. 337, 10 sqq. His adduntur: *Ex tertia hora ipsum stagnum finalem constituimus, et quam plurime contra tertiam horam.*

Aqua viva: iam a Bursiano in Indice collecti hi loci sunt.

Fontes: non saepe nominantur sed saepius in paginis 305[a] et sequentibus: 305, 25 *fons quattuorangulatilis*, pro his in casis litterarum occurrunt *fontanae*: 315, 28. 324, 2. 329, 8. 330, 30. 337, 30. 364, 16. sed 19, 30. 115, 2. Du Cange s. v. *fontana* citat Ioan. de Ianua: *Fontana idem est quod fons.*

Hic adiungere liceat quae sequuntur:

Cisterna: 305, 6. 19. 360, 12? 361, 7.

Lacos convallium: 228, 24 = *Nymphae*: 260, 6.

Lavacrum: 305, 20. 307, 19. 311, 16. 28. 319, 20. 323, 26. 325, 1. 332, 11. 343, 21. 22. 345, 17. 352, 10.

Putea: 253, 24. 255, 23. 305, 15. 321, 12. 341, 30. 343, 17. 349, 8. 361, 6.

Aquarum ductus: 261, 13. 365, 12 (non finales: 146, 20. 349, 6).

DE SILVIS, LUCIS, LOCIS SACRIS.

Etiam saltus[1]) populorum fines indicare possunt, ut erat inter Romam et Etruriam veteribus quidem temporibus silva Ciminia (etiam saltus vel mons appellata). Florus (I. 17. 3) et Livius (9. 36. 1 et 10. 24) dicunt olim hanc silvam aeque magnam atque inviam fuisse ac postea Brittanniae et Germaniae saltus, velut Calidonius et Hercynius.

Neque tantum populorum et municipiorum, sed etiam inter privatos Silvanus (ὕλη: Servius ad Aen. 8. 601 eum deum ὕλης appellat *quae est faex omnium elementorum unde cuncta procreantur*) erat finium tutor. Omnis enim possessio, narrat Dolabella

---

1) Varro de L. L. V. 36 (cf. de R. R. I. 10); Festus s. v. saltum (ex Aelio Gallo): *saltus est ubi silvae et pastiones sunt, quarum causa casae quoque: si qua particula in eo saltu pastorum aut custodum causa aratur, ea res non peremit nomen saltui, non magis quam fundi, qui est in agro culto, et eius causa habet aedificium, si qua particula in eo habet silvam.* L. 20 § 1 D. 8. 5, L. 62. D. 7. 1. L. 52 pr. D. 19. 1.

302, 13 sqq., tres Silvanos habet, inter quos *orientalis* est *cui est in confinio lucus positus a quo inter duo pluresve fines oriuntur* (17—19). Est vetustissimus finium deus, *quia primus in terram lapidem finalem posuit* (13, 14).

Saepe hae silvae divini erant iuris, *luci*que vocabantur, quos multis locis asyli ius habuisse audimus. Praesertim in Graecia haec asyla supererant, quae omnibus qui aes alienum grande conflaverant vel legibus erant obnoxii salutem impunitatemque numinis voluntate condonabant. Talia instituta, priscis temporibus perutilia, cum stabiliores civitates factae essent, valde iudicibus in iure dicundo obfuisse, perspicuum est.

Tiberius denique multa horum asylorum ut civitati periculosa abolevit[1]).

Est verisimile quod suspicatur Hartungius[2]) genium talis loci nomine Lucaris esse appellatum est hoc verbum apud Servium ad Aen. II. 761 esse scribendum pro *Lycoreo* — qui locus utiliter conferri potest — et inde Lucerenses vel Luceres nomen habuerunt quae scilicet constaret ex iis qui in asylum confugerant[3]).

In his lucis[4]) olim incolae vicinarum urbium conventus habuisse videntur, ibi etiam inter litigantes ius dicebatur et praeda belli servabatur. Ita Cato originum libro 2 apud Priscianum p. 629 (Putsch): *Lucum Dianium in nemore Aricino Egerius Laebius Tusculanus dedicavit dictator Latinus. Hi populi communiter: Tusculanus, Aricinus, Lanuvinus, Laurens, Coranus, Tiburtis, Pometinus, Ardeatis, Rutulus.* Videntur haec esse antiquissima vestigia eiusdem populorum status, qui Tacito auctore (Germ. 11 et 12) apud Germanos exstabat — quo sc. concilia populorum de rebus maximi momenti consultabant, per pagos vicosque iura

---

1) Suet. Tib. 37; Tac. Ann. III. 60—64; Iuv. 8. 273 (*infame asylum*); Liv. 35. 51; Strabo V. 12. Serv. in Aen. 6. 136.

2) Die Religion der Römer II. p. 54.

3) Paulus (Festus) s. v. Lucomedi et s. v. Lucereses; Pseudo-Asconius in Verr. II. 1. 5 (§ 14 ed. Orelli).

4) Ipsum verbum *luci* a radice quae est in *luce* derivatum esse videtur, proprieque igitur indicavit locum arboribus liberatum, et dei deaeve alicuius religione (Serv. ad Aen. I. 314) ab iniuria defensum, ubi sacrificia fiebant a dominis vel incolis terrarum quae erant proximae. sic. 57, 18: *lucos frequenter in trifinia et quadrifinia invenimus.* vide etiam Paulum (Festum) v.v. Lucaris pecunia (quae sacerdotibus luci dabatur), Lucaria festa, Lucar.

reddebantur a principibus in conciliis electis. Mutatis mutandis talia ubique apud priscos populos inveniri posse videntur.

57, 8—16 Frontinus haec habet: *si loca sacra aedificabantur, quam maxime apud antiquos in confinio constituebantur ubi trium vel quattuor possessionum terminatio conveniret. et unus quis(que) possessor donabat certum modum sacro illi ex agro suo et quantum donasset, scripto sanciebat, ut per diem sollemnitatis eorum privatorum agri nullam molestiam inculcantis populi sustinerent sed et siquid spatiosius cedebatur, sacerdotibus templi illius proficiebat. in Italia autem multi templorum loca occupaverunt et serunt.* cf. 22, 24—23, 28 et 88, 4—14.

23, 12 sqq. additur: *In Italia autem multi crescente religione sacratissima Christiana lucos profanos sive templorum loca occupaverunt et serunt.* et 26 sqq.: *nam lucos frequenter in trifinia et quadrifinia invenimus.* cf. 57, 18 sqq.

Tempore has societates abolitas esse apparet, non tamen prossus evanuisse: inter Nolam et Abellam (annis a. u. c. 538—665) cum adhuc liberae essent ab imperio Romanorum, constitutum est, ut, dum parcerent arboribus luci cuiusdam, ceteras arbores dividere inter se possent[1]).

In sententia Minuciorum[2]): *Quei ager compascuos erit, in eo agro quominus pecus pascere Genuates Veituriosque liceat, ita, utei in cetero agro Genuati compascuo, ni quis prohibeto, nive quis vim facito, neive prohibeto quo minus ex eo agro ligna materiamque sumant utanturque.* Inter Genuates et Veiturios itaque haec omnia adhuc indivisa fuisse docemur.

Alia exempla eiusdem usus affert Mommsenus Unteritalische Dialekten p. 125 sqq. sc. templum Dianae in Aventino quod a Romanis et Latinis aedificatum est[3]) et fortasse horum populorum commune erat[4]). Iure Mommsenus admonet usque ad legem Iciliam Aventinum, non ab hominibus habitatum, lucum mansisse[5]) et sub Claudio demum intra pomoerium haberi coeptum

---

1) Mommsen Unteritalische Dialecten p. 118 (27—48).
2) Bruns Fontes Iuris Romani[6.] p. 359, 33—35.
3) Livius I. 45.
4) Niebuhr Römische Geschichte ed. 2[a]. I. p. 379.
5) Dion. X. 31: *ὅς οὐχ ἅπας τότ᾽ ᾤκητο, ἀλλ᾽ ἦν δημόσιός τε καὶ ὕλης ἀνάπλεως.*

esse, cum ex Festo et Pauli excerptis s. v. *servorum* apparere videatur hunc lucum servorum fuisse asylum. Item templum Iovis Latiaris in monte Albano Romanis et Latinis erat commune. Anno urbis conditae 416 pax facta est hac conditione *ut aedes lucusque Sospitae Iunonis communis Lanuvinis municipibus cum populo Romano esset*[1]) — neque deficiunt talia exempla. Sed postea luci a civitatibus sunt occupati, imprimis cum Christiana fide gliscente ubique templa antiquorum deorum desererentur, et quae in locis desertis supererant huius cultus vestigia *sacra paganorum* dicebantur — alibi contermini ea occupaverant (57, 16. 88, 12) — postquam ea, quae sacris faciundis et cultui destinata erant loca sensim erant imminuta, certosque finis templorum constitui necessarium erat factum. Dolabella 302, 20—303, 3. docet quomodo fines templi quaerendi sint, et ita minimas mensuras indicare videtur inter quas aream comprehendi necesse erat:

Fines templares sic quaeri debent: ut si in quadrifinio est positus et quattuor possessionibus finem faciet, quattuor aras quaeris, et aedes quattuor ingressus habet ideo ut ad sacrificium quisquis per agrum suum intraret. quod si desertum fuerit templum, aras sic quaeris. longe a templo quaeris pedibus XV et invenis velut fundamenta aliqua. quod si inter tres, trea ingressa habet: inter duos dua ingressa habet templum. Igitur 15 pedes ne minus fines ab ipso aedificio abesse oportebat.

Lucus 23, 13. 27. 57, 18. 88, 14.

Lucus: 309. 4 memoratur, ubi Latinus dicit: *terminus sive petra naturalis si branca ursi habuerit, lucum significat.*

Sacella: 19, 30. 115, 2 (utrobique *sacella aut fontes*: quae arte sunt coniunctae, cf. Hor. Carm. I. 1. 22 *stratus nunc ad aquae lene caput sacrae.*

Silva in fine: 363. 30, 31.

Arae: 198, 15. 199, 9. 228, 24.

Arae lapideae: 4, 22. 114, 8. 199, 3.

Arae ternum angulorum: 199, 6 (*ubi fines angulum facient*).

Arae sacrificales: 241, 5. 401, 5.

Arae lapideae 4, 22 et 114, 8 *claudere territoria* dicuntur.

---

[1]) Livius VIII. 14.

DE LOCIS RELIGIOSIS.

Olim saepe in ipsis finibus, ubi pugnantes pro agris quos possidebant, ceciderant armati, sepeliebantur — ea quasi collium series fines clare indicabat, exque magnitudine collium cernebatur nobilitas eius qui ibi sepulcrum habebat. Haec affirmant Servius ad Aen. XI. 849: *apud maiores nobiles aut sub montibus altis aut in ipsis montibus sepeliebantur* et Latinus 306, 9—15: *etiam monticelli sunt in finibus constituti. alioquin qui nesciunt quid est in lectionibus negant esse in finibus: constitutos autem in tempore quando milites occidebantur in bello publico: alibi quam maxime non ponebantur, nisi circa fines et in centuriis, et quantos milites ponebant, tantos lapides defigebant ideoque seringis et allabinibus et centuriis signa proponebantur.*

Siquis ibi sepultus est, fines vocantur *sepulturarii*, sin autem combustus est *cinerarii*. Facillime ex cinere, testis, cacabis, orcis et iis quae mortuum in sepulcrum secuta sunt instrumentis, sepulcri locus indagari potest. Dolabella 303, 15 sqq.: *ut invenias si finalis est sepultura, quaeris longe ab ea pedes quinque aut aratro terram agis, et si inveneris ea signa, finalis est sepultura* [haec signa sunt: *cinus aut testae aut cacabi aut orcae integrae aut certe fractae* vide app. crit. (303, 14. 15)], *si enim non inveneris, transi in alio latere* etc. Et re vera in sepulcris saepe nonnullas res condi nos docent e. c. Suetonius (Caesar 81), qui narrat in colonia Capua in sepulcro Capyis, Capuae conditoris, tabulam aeneam esse inventam, et Livius XL. 29. 3 ubi legimus a. u. 573° sub Ianiculo duas lapideas arcas esse inventas, quarum altera in qua corpus Numae inesse inscriptio declarabat, inanis inventa est, altera libros continuit. Saepissime in Gromaticorum scriptis arcae et arcellae sunt finium signa, etiam in descriptione quae est p. 19 et 114 legitur: *et inde per monumentum illius ad locum etc.* Exemplum huius rei est finis inter Cyrenenses et Carthaginienses, ibi enim sepulcra vel arae Philaenorum fratrum qui se vivos obrui pro patria passi essent, pro terminis observabantur[1]. Tempore Strabonis

---

1) Sallustius Bell. Iug. 79.

hi termini non iam exstabant, sed locus nomine ararum Philaenorum erat notus[1]).

Intra fines fundorum privatorum mortui erant sepeliendi, nam *locus publicus non potest privata religione obligari*[2]), sed fere semper quinque pedes a fine, ut Dolabella dicit 303, 16. Etiam Siculus Flaccus 139, 23—140, 4: *Inspiciendum erit et illut, quoniam sepulchra in extremis finibus*[3]) *facere soliti sunt et cippos ponere, ne aliquando cippus pro termino errorem faciat: nam in locis saxuosis et in sterilibus etiam in mediis possessionibus sepulchra faciunt*[4]). Quod ad ultima verba pertinet, Cicero de leg. II. 27. 67 dicit Platonem vetare *ex agro culto eove qui coli possit, ullam partem sumi sepulcro.* Cf. etiam L. 13 D. 10. 1 et 278, 25—279, 6.

Apud Gromaticos enumerantur:

Sepulcra: 241, 9. 243, 14 (*monumenta sepulcrorum*). 253, 8. 22. 262, 3. 346, 20. 347, 5. 348, 14. 361, 12 (*sepulcra finalia*). 365, 26. 401, 10. et imprimis pag. 271 et 272 quae agunt de sepulcris.

Sepultura: 259, 25. 261, 17. 349, 27.

Sepultura finalis: 250, 22. 303, 15. 17. 341, 17. 405, 19.

Sacra sepulchrave: 253, 7.

Sepultura militaris in finem: 341, 3. *monumenta sepulchrave veteranorum:* 348, 14. 349, 27 (*militum veteranorum sepulturae*).

Monumenta: 19, 28. 30. 114, 23. 115, 1. 161, 25. 240, 6. 241, 9. 253, 22. 254, 18. 260, 5. 271, 6. 9. 11. 272, 16. 19. 316, 22. 341, 21. 347, 5. 16. 17. 348, 14. 19. 21. 361, 12. 401, 13. 406, 21.

Sarcofagum: 361, 29.

Moesilea: 23, 5. 25. 57, 20. 88, 16. Musileum: 336, 25. Mausoleus: 406, 22.

Du Cange in glossario s.v. Musileum idem esse dicit ac Mausoleum et citat glossas antiqui MS.: *Musuleum*: monimentum.

Ut luci frequenter in trifiniis et quadrifiniis inveniuntur (22, 26. 57, 18) ita et de sepulchris legimus 346, 20: *sepulchra in trifinio quam maxime posuimus.* et 316. 22: *in quadruvio monumentum.*

———

1) Strabo III. 5. § 6. Mela I. 7. Val. Max. V. 6 Extr. 4. Thrige. Res Cyrenensium Hafniae (1828) p. 195. Bahrdt. Wanderungen durch die Küstenländer Africa's (1849) I. 345.

2) Cic. de leg. 2. 23. 58. Gaius II. 6. 7.

3) vide L. 5. D. 47. 12.

4) vide etiam 243, 15.

DE CULTURAE DISCRIMINE.

Saepe vicissitudine agri pascui ac silvarum, saltuum et agri frugiferi finis quasi naturaliter indicatur: si usquam, hic certe a Silvano custoditus. L. 3. § 2 D. de termino moto 47. 21 Callistratus nos docet: *Qui finalium quaestionum obscurandarum causa faciem locorum convertunt, ut ex arbore arbustum faciant, aut ex silva novale, poena plectendi sunt* — non minus igitur quam qui terminum exaraverunt.

Necesse est tamen imprimis in locis uberibus silvam cedere agris qui hominibus vel pecoribus alendis inserviunt, sed singulae quae remanserunt arbores saepe eundem praestant usum.

Culturae discrimen: 13, 5. 41, 12. 72, 21. 282, 20.

Similitudo culturae: 129, 16.

DE ARBORIBUS.

Eae quae terminorum vice arbores funguntur, *finales* appellantur vel *terminales* (270, 6), neque tantum in locis nemorosis inveniuntur, sed etiam in aperto campo, ut e. g. videri potest ex verbis Siculi Flacci 143, 14—145, 18, qui fuse de iis agit. Sed in omni vita Graecorum et Romanorum arbores magni momenti erant[1]), et e. g. inter verba concepta, quibus in monte Tarpeio templum inaugurabatur haec sunt: *Olla veter arbo quirquir est quam me sentio dixisse templum tescumque finito in sinistrum;* eadem repetebantur mutatis tantum extremis verbis in *in dextrum*[2]).

Apud Gromaticos de arboribus agitur fusius: 44, 13—44, 20; 75, 5—75, 13; 127, 18—128, 5; 130, 20—131, 3; 143, 14—145, 18.

Arbores finem indicare dicuntur: 44, 10. 47, 7. 75, 3. 78, 3. 139, 6. 148, 20. 151, 23. 240, 3. 254, 15. 306, 4. 369, 17. 410, 19. 414, 10.

Arbores finales: 143, 14. 16. 19. 144, 8. 12. 28. 145, 5 sqq. 148, 16. 154, 15. 270, 5. 361, 23.

---

1) Conferatur Bötticher. Baumkultus der Hellenen, imprimis Historische Ubersicht p. 495 sqq.

2) Haec verba, sumpta ex Varrone, ita cito ut inveniuntur O. Müller (W. Deecke) Die Etrusker 2. I. p. 137.

Arbores finitimae 44, 14. 75, 7.

Silva in fine 363, 30.

Arbores Terminales: Paul. Sent. V. 22. 2.

Inter arbores finales distinguuntur:

1º) arbores *antemissae* sive *intactae*: *quas finium causa agricolae relinquunt et antemissas appellant* (41, 11. 12. 72, 19. 20); *ex quibus neque frondem neque lignum neque cremium caedant* (131, 1 et 2);

arbores antemissae: 2, 25. 5, 8. 25. 13, 5. 12. 41, 11. 12. 72, 19. 20. 115, 9. 128, 2. 129, 18. 131, 7. 138, 9. 147, 18. 148,16. 241, 2. 15. 253, 23. 256, 10. 19. 260, 5. 20. 262, 1. 281, 9. 13. 282, 8. 347, 25. 361, 23. 401, 3. 18.

arbores intactae: 131, 1. 143, 16. 144, 2. 23. 241, 5. 401, 6. 19.

arbores intactae a ferro: 241, 3. 401, 4.

2º) arbores *plagatae*, *notatae*, *signatae*, *clavicatae* etc. quae *signis (σημείοις)* distinguuntur.

arbores notatae: 12, 18. 22. 23. 44, 17. 75, 10. 103, 14. 126, 10. 127, 17. 138, 18. 144, 12 sqq.

arbores clavicatae: 44, 18. 75, 11.

Haec signa sunt plagae securis (144, 15. 16) quae cicatricem relinquunt, clavi qui infiguntur (clavicatae hae arbores dicuntur); notae diversae, sicut plumbum (306, 47): *arbor si plumbum habuerit, idem sicut terminus, aut stagnum aut fluvium maiorem aut fontem significat.*

Etiam 282, 8 sqq. tale signum describitur: *Antemissae vero arbores solent etiam plagatam antiquitus inflexura similem corticibus ostendere cicatricem: licet hae terebris foratam etiam, tornatis intro missis, sicut scribtum a veteribus, habere dicantur.* 361, 4 *tornatilis, hoc est rotundi* legimus — *tornata* (?) igitur esse debent rotundae bullae vel talia.

Arbores autem *in versuris quae notatae sunt, aut decus in eis inveniuntur aut gammae, ut manifestum sit versuras suis signis observari debere* (144, 20—23), eadem fere de petris dicuntur 140, 7—10, vocabantur igitur *gammatae* et *decusatae*: Notas saepe mensori esse perutiles, manifestum est ex Siculo Flacco 144, 12 sqq.: *Si vero notatae arbores in regionibus finalis observabuntur, intuendae sunt notae. si enim communes sint mediae, utrimque notatae per totas esse debebunt. Si partium frondes spectant in*

alios fines, plagis, id est latis cicatricibus, signatae inveniri debent, ut intellegantur eorum esse dominorum, in quas partes integrae erunt (et) intactae reservabuntur. Signantur autem utrimque, id est ex utraque possessione, intra pedes quinos, ut legis Mamiliae commemorationem habeant: sunt enim pro diviso communes quia radices agunt in utriusque domini solum: L. 7. § 13. L. 8 D. de A. R. D. (41. 1).

Fere eadem narrantur 12, 21—26. — nisi quod ibi legitur: 24, 25: *si communes sunt arbores mediae notantur et ad utrumque pertinent*, ubi facile inter *mediae* et *notantur: utrimque* per haplographiam intercidisse potest, quod verum esse videtur ex 127, 18—23, ubi isdem fere verbis haec iterantur adiecto tantum vocabulo *utrimque.*

Notas in arboribus factas etiam barbarorum leges memorant:

Lex Baiuwariorum L. 4. Tit. XII. „De terminis ruptis". (ed. Merkel in Pertzii Mon. Germ. Hist. f°. Legum Tom. III. p. 311): *in arboribus notas quas decorvos vocant.*

Lex Visigothorum (ed. Zeumer 1894) L. 1. VIII. tit. 6 (p. 258): *decurias quae vocantur characteres.*

L. 3. X tit. 3. (p. 288): *in arboribus notas quas decurias vocant.*

Lex Rom. Burg. (ed. de Salis in 4° ed. Mon. Germ. hist. Legum Sect. I. Tom. II. pars I p. 158): L. 1. Tit. 39. De terminis transgressis et evulsis.: *arbores terminales quae decusas accipiunt.*

Lex Langob. (ed. Bluhme in Pertzii M. G. H. f°. Legum Tom. IV. p. 268) L. 1. 2. 3. 4. I. tit. 28 (cap. Rothari et Liutprandi de arbore signato et sinaida et carro in silva invento): *arborem ubi theclatura est.*

Lex Salica (2ª ed. Behrend 1897) L. 19. Tit. 27. *si quis arborem post annum quod fuit signatus praesumpserit, nullam habeat culpa.*

Cf. Ed. Theodor. Ostrogoth. 104 (arbores terminales), Divisio Imperii a° 806° c. 14 (Pertzii M. G. H. f°. Tom. leg. I. p. 142) et a° 830° c. 10. (Tom. leg. I. p. 358).

Decr. Ratchisi a. 747: *renovantes signa et cruces cum claves ferreos adfigentes simul.*

3⁰) arbores *insignes* sive *notae* — aliquod genus arborum indigenarum, sed etiam idque potissimum peregrinae sive exterae arbores hunc usum praestabant, quae *ex studio in fine* ponuntur

(306, 2. 3), quo manifestius appareant finales cf. 347, 27 . . . . *vel diversa genera arborum quae in ea regione qua metiuimus inveniuntur peregrina.*

arbores insignes aut notae: 44, 20. 75, 13.

arbores peregrinae: 253, 23. 260, 5. 262, 3. 306, 2. 309, 3. *347, 27.* 350, 9. 361, 23.

347, 27: *vel diversa genera arborum quae in ea regione qua metivimus inveniuntur peregrina.*

arbores exterae: 361, 23.

Ita memorantur: *pini* 130, 22. 143, 23.

fraxini 130, 22. 143, 24.	*ulmi* 130, 22. 143, 24.
murtae 360, 27.	*ficus caprius* 352, 3.
cypressi 130, 22. 143, 24. 361, 14.	*oleastri* 305, 5.
populi 143, 24.	*nuces* 316, 15.
dactyli 352, 1.	*amygdalae* 352, 2.

sa(m)buci 308, 9. 347, 26. *cihiamellus hoc est siliqua silvatica* 360, 23.

malus cotonius 308, 19. 321, 12. 347, 26, 352, 2. 361, 13.

cotonei 308, 8. 333, 11. 360, 27.

Praecipuum locum habebant oleae[1]), quae etiam in Attica in hoc usu erant frequentes, sicut etiam myrti (Geoponica XI. 7).

Etiam apud Gromaticos: *arbores olivarum* 253, 26. 282, 16. *olivae* 303, 5. *oliva fructifera* 343, 16. *olivastellum* 305, 4. 308, 8. 20. 333, 11. 360, 25.

In agro olivario rigore ordinum finis facile indicabatur: 282, 16 sqq.: *solent etiam arbores olivarum, quotiens in utroque agro sunt vel utriusque vicinae, ordines non habere ad unam lineam constitutos; ut, cum sibi consentiunt lineae, utriusque agri dominium unius esse testentur.* 303, 4 sqq. fere eadem narrantur.

Varro qui in libro de Re Rustica I. 15 de arboribus finalibus agit, pinos et cupressos, sed imprimis ulmos laudat, quibus ubi seri possunt, *nulla potior arbor serunda* est: *quod sunt maxime fructuosae, sustinent sepem, colunt aliquot corbulas uvarum, frondem iucundissimam ministrant ovibus ac bubus, virgas praebent sepibus et foco ac furno.*

Breviter tractemus ea quae Siculus Flaccus 143, 14—145, 18 de

---

1) Cic pro Caecina 8. 22. Eius autem fundi extremam partem oleae directo ordine definiunt.

arboribus finalibus habet: *Quidam cunctis excisis arborum generibus unum tantum genus in finibus relinquunt quo manifestius appareant finales* (alii enim diversas arbores habent finales). *Quidam ex conventione in ipsis finibus communes serunt* (enim tunc *utrimque* eas *intactas servare possunt, vel durantibus stirpibus earum summas frondes ac virgulta communiter caedere*). *Aliqui privatim intra suum solum in extremis finibus ponunt diversa genera arborum, et si inter culta finibus aut prope fines disponuntur spissius et disconvenientes ordinibus arbustorum, si tamen arbusta sint* (idem supra de oleis iam dictum est). *Si propriae alterius partis sint, ut domino libuit, aut caedit aut relinquit: ex quibus tamen saepe et materiam deiciunt et alias substituunt. Hoc etiam in communibus arboribus saepe accidit: si enim utrisque possessoribus conveniat ut finales arbores deiciant aut ut pretio taxent aut alterna sibi sorte habeant substituantque in deiectarum locum alias, aut si nihil placuerit substitui, differentiae qualitatum indicio erunt.* (143, 14—144, 12).

Praeterea sive in cultis sive in silvosis et in incultis locis agatur, respiciendum erit, utrum hae quae finales videbuntur arbores habeant in alterutras partes similes (sc. sibi similes arbores). *Quae utrimque tales habent, una re videbuntur si notatae sunt.* (sc. tum solum finales videbuntur cum erunt notatae) *si vero altera pars habet quo loco deficient ibi fines videbuntur esse: hae autem ipsae eius partis videbuntur esse finales, in qua similes eis erunt. Si neutra parte similes et illae solae videantur, finales communesque esse videbuntur.* Si tamen in uno fundo diversorum generum arbores cum adjacentibus fundis finem faciunt, hae quae propriae sunt, facile communes videri poterunt, qua de re diligenter erit agendum. (144, 27—145, 18).

DE TUTELIS.

Tutelarum quattuor genera distinguuntur, *quae tutandi causa fundi aut partis fiunt*[1]: sepimentum *naturale*, *agreste*, *militare*, *fabrile.* Harum unaquaeque species habet plures.

---

[1]) M. Varro de R. R. I. 14.

1. Sepimentum naturale *est vivae sepis*, *quod obseri solet virgultis aut spinis*, *quod habet radices ac viatoris praetereuntis lascivi non metuit facem ardentem.* (Varro l. c.). Saepe etiam constat ex vepribus et arboribus antemissis, aliave quadam herba, ut in Italia *cannabis* qui vocatur *terminalis*[1]).

147, 12—18 (Siculus Flaccus). *Vepres si finem facient*, *videndum quales et si tantum modo in extremis finibus sint*, *quoniam per neglegentiam colentium et in mediis agris solent esse vepres; et utrum manu satae sint. Nam etsi regio quaedam virgulta non habeat*, *quae tutelam vineis aut hortis praestent*, *adferuntur ex peregrinis regionibus et seruntur. et arbores in vepribus solent ante missae inveniri.*

Constat igitur ex viventibus herbis quae radices agunt.

vepres: 12, 18. 126, 12. 128, 15. 131, 6. 138, 19. 147, 12. 14. 18. 282, 12. 347, 26.

dumi: 44, 21. 75, 14. 142, 7. cf. Pallad. de R. R. I. 34. 4 sqq.

2. *Sepimentum agreste est ex agresti ligno*, *sed non vivit. Fit aut palis statutis crebris*, *ac virgultis implicatis; aut latis perforatis*, *et per ea foramina traiectis longuriis fere binis aut ternis: aut ex arboribus truncis demissis in terram*, *deinceps constitutis.* (Varro)[2]).

Maceriae quae consistunt ex tabulis ligneis, ex caesis arboribus fabricatis, quae apud nostrates tam sunt vulgares (schuttingen), a gromaticis non memorantur.

3. *Sepimentum militare est fossa et terreus agger, sed fossa ita idonea*, *si omnem aquam quae e caelo venit*, *recipere potest*, *aut fastigium*[3]) *habet*, *ut exeat e fundo. Agger is bonus qui intrinsecus iunctus fossa*, *aut ita arduus ut eum transcendere non sit facile. Hoc genus sepes fieri secundum vias publicas solent et secundum amnes. Ad viam Salariam in agro Crustumino videre licet locis aliquot coniunctos aggeres cum fossis*, *ne flumen agris noceat. Aggeres qui faciunt sine fossa*, *eos quidam*

---

1) Apuleius de herbis 114.

2) Meliorem lectionem censet I. G. Schneider: „implicatis aut ex arboribus (arborum) truncis demissis in terram et deinceps constitutis, aut fissis et in lateribus perforatis et per ea foramina traiectis longuriis binis aut ternis". De simili re agit etiam Columella IX. 1. 3.

3) i. c. declivitatem cf. Varr. R. R. I. 20. 5

vocant muros[1]), *ut in agro Reatino.* (Varro l. c.). De iis quoniam in agro arcifinio inveniuntur, non agunt agrimensores. Saepe autem mentionem faciunt de *fossis* finalibus, quae etiam inter privatos usui sunt. Nec tamen sunt confundendae eae fossae, quae ad agrum siccandum fodiuntur, cum terminalibus. Siculus Flaccus 147, 22 sqq.: *Nam et intelligi potest aliquando ex ipsarum fossarum positione utrum propriae an finales sint, quoniam transversae quaedam aut obliquae a finibus recedunt. Ita ex ipsorum locorum necessitate et ex ipsarum positione colligi debebit quae sint finales.*

Plinius in Hist. Nat. V. 4 (3). testis est fossas etiam inter provincias finales inveniri: *Et pars quam Africam appellamus dividitur in duas provincias, veterem et novam, discretas fossa inter Africanum sequentem et reges Thenam usque perducta.*

Fossae finem indicare dicuntur: 2, 24. 25 (f. manu factae). 5, 7. 25. 12, 18. 26. 13, 5. 19, 30. 41, 12. 72, 20. 103, 14. 115, 1. 9. 120, 15. 126, 10. 128, 5. 9. 131, 6. 138, 20. 147, 19. 21. 23. 148, 6. 13. 14. 17. 21. 149, 21. 22. 25. 220, 6. 261, 13. 262, 1. 308, 15. 316, 11. 319, 14. 333, 5. 350, 11. 365, 12. 366, 3. 5.

Fossati 335, 12. 347, 7 (fossati Augustei). 352, 22. 360, 6. 361, 16. 17.

De fossis fusius agitur 12, 26—28. 128, 5—9. 147, 19—148, 15. 149, 21—29.

Fossa caeca: 58, 2. 89, 1.

Et 149, 21 sqq. pergit: *Si non sit necessitas agri siccandi nec in vicinis fossae inveniantur, possunt videri finales, non intervenientibus qualitatibus quibus ambigantur secundum regionum consuetudinem esse finales. Sed si in regione non sit consuetudo fossis finem observari, ea ergo quae quasi novum exemplum*

---

[1]) *Serv. ad Georg.* I. 264. *vallos, fossas et muros de terra factos et glebis, qui fiunt in circuitu cohortium et vinearum, aut quibus aquae ducuntur de locis aquosis. Palladius* I. 34. 4 agit de variis hortorum munitionibus: *nonnulli fossis spatia colenda praecingunt, quod vitandum est, quia horto subducit humores nisi forte locus palustris colatur,* memorat macerias ex luto et lapide, ex lapidibus in ordinem tantum congestis, spinas, rubos, sentes, eidem usui utilissima.

cf. L. 3. Lex visigoth. X. tit. 3. *aggeres terre sive arcas quas propter fines fundorum antiquitus apparuerit fuisse coniectos adque constructas.* (ed. Zeumer p. 288. 1894).

afferre videbuntur, intuendum utrum ex necessitate loci agros siccent an finem praestent. Etiam si circa fines fundi cuiusdam fossa est facta, non inde apparet hanc esse finalem, nam dominus eam fodisse potest *ut ex superioribus vicinisque agris defluentes aquas exciperet, ne inferiores terrae laborarent. Ita quod in solo suo quis fecerit, non statim communes sed circa fines esse videbuntur* (148. 6—10). *Sed et proprias qui faciunt ad expediendas aquas, aliquid soli sui extra fossam solent relinquere. Aliquando etiam terminos extra fossam positos invenimus, qui et ipsas fossas et soli relicti partes decernant cuius domini sint, quidam vero etiam arbores ante missas finales extra fossas habent et in controversiam saepe deducuntur quod credatur fossas finem facere debere* (148, 11—18). Ex artis igitur praescriptis et regionis consuetudine in tali re erat iudicandum.

Palladius VI. 3. 1. haec habet: *Sed apertae fossae notae sunt, caecae vero hoc genere fiunt. Imprimuntur sulci per agrum transversi altitudine pedum ternum: postea usque ad medietatem lapidibus minutis replentur aut glarea et super terra, quam egesseramus, aequatur. Si defuerint lapides sarmentis vel stramine subiecto cooperiantur vel quibuscumque virgultis.* Cf. Colum. II. 8. 3.

Saepius tamen quam *fossae caecae* quarum bis tantum mentio fit apud gromaticos, nominantur *canabulae* et *novercae*, quae etiam eodem modo quo fossae caecae agros siccabant aquamque superfluam deducebant — et illae saepe finem indicabant.

Canabulae: 227, 14. 228, 25. 240, 14. 241, 11. 252, 4. 12. 255, 22. 256, 8. 341, 20. 349, 12. 401, 14 (cunabulae).

Novercae: 227, 14. 240, 14. 241, 11. 250, 4. 252, 4. 12. 255, 23. 256, 8. 341, 19. 349, 13. 401, 15. 406, 12.

227, 14. 228, 25. 252, 4. 349, 13. 401, 15 adiciuntur verba: *quod tegulis construitur*, quae indicare videntur quo modo fossarum simile genus construeretur. 349, 13 sequuntur: *saepe imbrices in finem posuimus* — si haec ad eandem rem referre nobis licet, suspicari possumus *imbrices tantum*, sine ulla fossa ad aquam deducendam supposita, eodem modo interdum fines indicavisse, quo canabulas vel novercas — igiturque sub terra cursum finis indicasse. Tale quoddam in Germania iuxta limitem invenit Jacobi, qui ibi effodit fossam, quae iis quae caecae fossae

dicuntur similis erat. Sed hoc legatur apud ipsum[1]). Cf. etiam 361, 31. 32.

4. *Sepimentum fabrile: maceria. Huius fere species quattuor: quod fit e lapide, ut in agro Tusculano: quod e lateribus coctilibus, ut in agro Gallico: quod e lateribus crudis, ut in agro Sabino: quod ex terra et lapillis compositis in formis, ut in Hispania*[2]) *et agro Tarentino* (Varro l. c.). Etiam Palladius de R. R. I. 34. 4 alterum et tertium horum generum memorat.

Etiam apud agrimensores multa de hac materia inveniuntur, imprimis apud Siculum Flaccum qui in nostra re est fons utilissimus.

Maceriae: 33, 16. 138, 23. 142, 26. 148, 23. 24. 149, 4. 13. 15. 18. 29. 150, 4. 211, 10. 227, 15. 228, 6. 24. 241, 3. 252, 5. 253, 22. 256, 9. 341, 27 (maceria finalis). 347, 25. 361, 11. 365, 10. 401, 4. Saepe etiam scribitur *macheria*.

Tale quidquam etiam *instructiones* fuerunt, quae inveniuntur: 255, 25. 347, 8. 349, 14.

Siculus Flaccus 148, 22 sqq.: *Si substructionibus et maceriis finientur agri, videre (oportet) quales substructiones et maceriae, quoniam quidam congestîonibus lapidum, ripis, substructionibus, terras ne dilabantur, excipiunt. Ita si ad tutelam terrarum extruantur, videndum an et finitiones praestare debeant.* 149, 8 sqq.: *Quaedam quae fines praestant maiori opere extructae invenîuntur quam eae quae privatae sunt.*

Igitur ex consuetudine regionis, sed saepe etiam ex natura loci colligendum est, utrum maceria sit finalis necne — nam in locis saxuosis ex collectione lapidum, quae repurgandi causa facta est, orta esse potest, et *vivaria*, *pomaria aut vineae aut oliveta aut arbusta* ab incursionibus bestiarum tali maceria tuta possunt esse praestanda (vide Sic. Flacc. 148, 22—150, 7).

---

1) cf. E. Schulze: Die Anlage des obergermanischen Limes und das Römerkastell Saalburg. pag. 268 sqq. in „Neue Jahrbücher für das klassische Altertum, herausgegeben von Johannes Ilberg. 1898.

cf. etiam Dr. J. Berlage in „Handelingen van het Tweede Nederlandsche Philologen-Congres, p. 186 sqq.

2) cf. Plin. H. N. XXXV. 14 (48) 169. Colum. IX. 1. 2, XI. 3. 54 Pallad. I. 13, I. 34. 4. Isidor. XV. 9.

Substructiones: 148, 22. 23. 149, 1. 4. 151, 8. 12. 341, 24 (substructio ad terras excipiendas).

Fundamenta 308, 14 (sed fortasse non hoc sensu). *fundare agros* 42, 12. 73, 19.

Saepe a gromaticis coniunguntur maceriis aliae eiusdem generis tutelae, quas vocant: *scorpiones* sive *scorofiones*, *pulvinos*, *botontinos*, *attinas* etc., de quibus eadem sunt dicenda quae supra de maceriis, scilicet non semper fines iis esse praestandos.

scorpiones, sive *scorofiones* 138, 23. 142, 25. 211, 10. 227, 16. 228, 6. 241, 11. 243, 11. 252, 5. 21. 256, 9. 341, 15. 350, 5. 401, 15.

Scorpio vocatur *congeries lapidum* vel *petrarum* (138, 22. 350, 5), vel *congeries lapidum acervatim congestae* (142, 25). *Scorofio* videtur esse rustica verbi forma.

congeriae: 211, 10. 227, 16. 228, 6. 241, 3. 252, 6. 259, 25. 314, 11. 347, 25. 350, 4. 352, 23.

congeries: 401, 3.

aggestus petrarum: 258, 1.

collectio petrarum: 260, 21. 262, 2.

congestiones petrarum: 255, 19.

carbunculi: 227, 16. 228, 6. 243, 11. 252, 6. 21. 256, 9. 259, 26.

243, 11 adicitur: (carbunculus) *id est scorofion molis petrarum constructi.*

Attinae: 139, 1. 142, 26. Primo loco 139, 1 dicitur attinas esse *lapides in specie maceriarum congestos.* et 142, 6 opponuntur scorpionibus: *aut in effigie maceriarum* (sc. non acervatim lapides congesti) *quae attinae appellantur.*

Pulvini: 12, 20. 126, 14. 15. ubi legimus: *pulvini sunt ex glarea Tiberis limites constituti.*

Aggestum petrarum: 258, 2.

margines: 12, 20 (*margines tamquam pulvini*). 129, 2. 4. 152, 3. 281, 9. 12. 364, 23.

Hae ex terra consistunt, neque multum differunt a pulvinis, nisi quod humiliores esse videntur, et ex alia materia.

Praeterea multa genera *monticellorum* memorantur.

Monticelli: 306, 9. 307, 18. 19. 308, 2. 7. 10. 310, 14. 311, 27. 315, 17. 319, 4. 322, 15. 325, 9. 12. 332, 27. 333, 18. 19. 335, 5. 336, 7. 345, 16. 17. 352, 9. 24.

Botontini: 308, 3 (*monticelli de terra quos botontinos appella-*

vimus). 315, 29. 324, 4. 329, 9. 341, 18. 352, 20. 360, 22. 361, 22 (*botontones*).

Colliculi et *collicelli:* 43, 14. 74, 11. 114, 16.

335, 16. 337, 20. 338, 8. 364, 7 (omnes: *collicellus*).

19, 21 prave scriptum est *collegio* pro *colliculo* quod ex 114, 16 satis clare apparet.

Etiam diversis locis *colles* finales esse dicuntur, 332, 27 e.g.

314, 12. 13 *collina* pro *collis*.

Inter *collem* et *rigorem naturalem* distinguitur, ut docemur 11, 19 sq.: *quod si plus de XXX pedibus patuerit*, *iam collis est*, rigor est: *de triginta pedum latitudine* (11, 18), videatur et 108, 18 sqq.

Grumi: 241, 2. 401, 3, ubi adicitur: *id est congeries petrarum.*

Tumor terrae: 260, 20. 262, 1. *Limes torris sive torus* 361, 19.

Tumor terrae in effigiem limitis constitutus: 241, 17. 401, 19.

Supercilia: 2, 27. 12, 7. 42, 14. 17. 23. 73, 21. 24. 30. 115, 11. 126, 12. 128, 15. 131, 7. 138, 19. 139, 4. 143, 3 sqq. 151, 23. 255, 57. 256, 11. 259, 26. 281, 9. 12. 410, 4. 412, 10.

Ripae: 109, 13. 16. 218, 3. 221, 2. 5. 12. 227, 14. 228, 5. 240, 2. 13. 241, 8. 15. 252, 4. 254, 14. 256, 8. 257, 23. 259, 25. *274, 6.* 308, 17. 361, 21. 396, 20.

coronae: 217, 1. 218, 3. videntur ripis esse similes.

Iuga collium: 218, 3. *clivi:* 281, 9. 12. *clivia:* 24, 7. 21. 43, 14. 58, 14. 74, 11. 89, 17.

Muri: 211, 10. 227, 15. 228, 24. 253, 22. 255, 23. 256, 8. 261, 12. 308, 13.

Parietes: 347, 14. 347, 28. 349, 26. 361, 20.

361, 20: *parietes de calce fabricatas finales* — in ceteris tribus locis ubique adiungitur: *in modum lineae.*

Nec tamen me fallit non omnia genera quae hic enumeravi inter tutelas posse referri, colles e. g. natura construxit, sed etiam manu facti esse possunt, ut finem praestent et saepe tale quiddam adscriptum legimus, ut 306, 9 sqq. et 308, 2 de monticellis, cf. 3, 8. 321, 30 (*ex arte et opus factoris duo montes*), 336, 11 (*signum de terra manibus factum*). Sed meo commodo haec omnia hic uno loco coniunxi.

Hic liceat etiam afferre eos locos ubi non elationes terrae sed contraria loci natura pro termino est:

devexa loca: 240, 3. *devexa montium:* 241, 8 (*id est per latera montium ripae currentes*). *devexa collium:* 254, 15.

deflexa montium: 401, 9. (*id est pro latere montis ripae currentes*). *infima montis:* 19, 23. 114, 19.

vallis finalis: 365, 14; videtur inter *devexa* et *deflexa* montium nihil interesse — *deflexa* igitur in *devexa* erit mutandum. 24, 21 *divia* in *clivia* est mutandum.

DE VIIS.

Viae *non finium causa diriguntur sed itinerum* dicit Siculus Flaccus 147, 9. 10. Possunt igitur interdum finem praestare, sed usus earum latius patet, coniungunt populos potius quam discernunt. Tamen apud gromaticos saepe finales esse dicuntur.

Sic. Flacc. 145, 18—147, 12 de iis agit. 145, 18 sqq.: *Viae autem si finem faciunt, adtendendum erit quales viae et quomodo. nam et saepe incidunt in finibus et saepe trans viam aliquas possessores particulas habent. Quaedam ergo viae aliquando fines transeunt possessionum.* Deinde pergit de earum variis condicionibus agere et distinguit *publicas* (*quae publice muniuntur et auctorum nomina optinent*), *vicinales* (*quae de publicis devertuntur in agros*), et postremo eas quae e vicinalibus oriuntur, et *privatae*, sed plerumque sunt *communes*[1]) (*pari utrimque modo sumpto, communique impensa iter praestant*). *Ergo*, desinit, *viae publicae et vicinales et communes in finibus incidunt, non enim finium causa diriguntur sed itinerum. ita tam fas est finem facere quam et transire viam.*

Frontinus. 41, 26. sqq.: *Nam plerumque via dum cum limite currit, etiam si vicinalis est aut lignaria aut privata finem prestat, regammante vero via vel limite, dum a se utrimque discesserint, desinit via finem prestare.* cf. 24, 25—29. 73, 5—9.

Agrimensores nullam faciunt mentionem viarum quae inter populos finem indicant, quod tamen interdum fiebat.

Margines solidi memorantur 126, 14. 129, 2. 4. 152, 3. 281, 9. 12.

Viae: 5, 8. 25. 12, 18. 14, 15. 18. 19, 22. 23. 24, 25. 27. 28. 41, 10. 26. 28. 42, 1. 43, 8. 72, 18. 73, 5. 6. 7. 74, 5. 103, 14. 114, 18. 115, 12.

---

[1]) vide. 128, 7. 8.

118, 13. 119, 2. 126, 10. 128, 7. 131, 6. 20. 132, 3. 138, 19. 145, 19. sqq.—147, 11. 151, 8. 12. 217, 1. 221, 11. 241, 7. 252, 20. 253, 16. 255, 11. 260, 6. 21. 261, 13. 16. 262, 3. 272, 17. 18. 363, 17. 366, 8. 401, 8. 409, 13.

Itinera: 2, 27. 115, 12. 217, 1. 272, 17. 347, 20. 349, 28.

Qui in ,,Casis Litterarum'' leguntur loci enumerare omisi quia ibi saepe non est perspicuum, utrum viae et itinera sint finalia necne, et copia exemplorum iam satis abundat.

Termini itinerarii 402, 12.

Cavae 217, 1. 10. 221, 12. 281, 8. 12. 317, 19. 20. 321, 16. 323, 27. 328, 8. 9. (?) 329, 1. 409, 13. Goesius in Indice dicit cavas esse ,,quae si aqua repleantur iam non tam cavae quam fossae erunt aestimandae''. In lingua Italica *cava*, quod ab hoc verbo Latino videtur derivatum, significat: *fossa*, *metallum*, *cuniculus*, *altitudo*. Indicatne hoc verbum *alveum derelictum* 1), quales in Italia multi inveniuntur, an supplendum est cava sc. via?

DE TERMINIS.

Termini novissimi tempore, arte sunt perfectissimi, haec enim signa ad fines indicandos specialiter sunt posita, neque igitur quidquam iis clarius et praestantius inveniri potest. Nil mirum si hi lapides paulatim cetera signa supra enumerata summoverunt. Ars agrimensorum summo studio eos excoluit, magnumque iis tribuit momentum, ut sensim plurima orta sint genera eorum, suis nominibus, suis signis praedita, quae nonnisi a rerum peritis intelligebantur.

Permulta apud Romanorum agrimensores inveniuntur de terminis illisque quae cum iis cohaerent, quae omnia diversis locis et saepe quasi obiter narrata, hic coniungere conabor. In maximo honore et usu haberi coepti sunt temporibus coloniarum deductionis. Vetustissimi lapides erant *informes atque rudes* (Lactantius I. 20) ut ipse erat Terminus deus, postea cippi forma frequentissima facta est, ut etiam vocabulum cippi in significationem lapidis terminalis transierit.

---

1) cf. § 23 Iust. Inst. II. 1.

DE ANTIQUISSIMO LAPIDUM USU.

Zoëga in doctissimo libro quem de origine et usu obeliscorum conscripsit p. 194 dicit:

,,In iis vero subsidiis, quae primaevis hominibus sese obtulerunt, unum ex antiquissimis et maxime solemnibus hoc fuit, ut rudibus saxis, ligneisve truncis erigendis vel factae vel faciendae rei notitiam certis locis affigerent, eo consilio, ut quotiescunque illuc redirent, aut alii quibus rei institutum commonstratum fuerat eo venirent, quid factum quidve faciendum esset compertum haberent. Si quis hostem devicerat, lapidem vel truncum statuebat in eo loco; si periculum effugerat, aut voti compos factus erat; si agri terminum aut publicam viam definiverat; si defuncto homini sanguine vel sodalitate sibi coniuncto iusta persolverat; et quae alia sunt huiusmodi. Foederis signum rudis lapis erat, latae legis, cultus numini offerendi, pietatis erga parentes virosque bene meritos de republica: quem morem post inventas etiam litteras plurimae gentes solemnitatis gratia servaverunt.''.

Plurima huius usus exempla praesto sunt, etiam in historia sacra. Jacobus Patriarcha cum in somnis Deum vidisset, *surgens mane tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo et erexit in titulum, fundens oleum desuper, appellavitque nomen urbis Bethel, quae prius Luza vocabatur* [1]).

Josue Iordanem transgressus duodecim lapides e medio fluminis alveo sublatos posuit, dicens: *quando interrogaverint vos filii vestri cras, dicentes, quid sibi volunt isti lapides? respondebitis eis, defecerunt aquae Iordanis ante arcam foederis Domini, cum transiret eum: idcirco positi sunt lapides isti in monumentum filiorum Israel usque in aeternum* [2]).

Item postea: *Cum proposuisset populo praecepta et iudicia in Sichem, scripsit omnia verba haec in volumine legis Domini, et tulit lapidem praegrandem posuitque eum subter quercum quae erat in sanctuario Domini: et dixit ad omnem populum: en lapis iste erit vobis in testimonium, quod audierit omnia verba*

1) Genesis 28: 18, 19. Cf. etiam Gen. 35: 14.

2) Josue 4: 6, 7.

Domini quae locutus est vobis, ne forte postea negare velitis et mentiri Domino deo vestro[1].

Samuel profligatis Philistaeis: *tulit lapidem unum et posuit eum inter Masphath et inter Sen et vocavit nomen loci illius Lapis-adiutorii* (Eben-Haëzer), *dixitque, hucusque auxiliatus est nobis Dominus*[2].

Sed etiam profana historia multa huiusmodi monumenta ostendit. Notissima sunt Graecorum et Romanorum tropaea (*τροπαῖα*), fugatis hostibus in ipso potissimum loco pugnae erecta — quae antiquitus constabant ex acervo armorum hostilium, vel ex stipite, saepissime trunco arboris, his armis ornato.

Imperatorum temporibus Romae columnae, arcus, tribunalia erigebantur in honorem clarissimorum ducum, sed etiam in provinciis, quae in ipsis locis res gestas eorum testabantur[3].

Lapidum quoque acervi in memoriam eorum qui in pugna ceciderant, obviam sunt: talem vidit Pausanias in Arcadia prope Orchomenum[4] nulla addita inscriptione.

Pauca exempla ex Herodoto sumpta, sufficiant ad hanc usum accuratius demonstrandum.

Sesostris rex lapidibus positis indicare solebat quousque fines regni sui protulisset[5]. In his inscriptum erat nomen ipsius et mentio se novum populum imperio adscivisse. Hos tantum in Palaestina Herodotus ipse invenerat et viderat, habitumque eorum describit in capite 106° libri secundi.

Iam ornatior quam *στῆλαι* Sesostris erat *τύπος λίθινος* quem posuit Dareus postquam rex factus erat, subscriptione addita in qua impetrato regno gloriatur[6].

Ponte in Bosporo facto, duas ibi *στήλας* ex albo lapide erexit idem Dareus in quarum altera Graece, altera Assyrice nomina populorum quos ducebat, erant inscripta[7]. Et cum ad fontes

---

1) Josue 24: 25, 26, 27.

2) Samuelis lib. I. c. 7. v. 12. Citavi Biblia Sacra vulgatae editionis Pii VI P. M. iussu recognita et edita (1630).

3) Cf. Tac. Ann. XV. 18 et II. 83.

4) Paus. VIII. 13.

5) Her. II. 102. idem narrat Diodorus Siculus l. I. c. 55.

6) Her. III. 88.

7) Her. IV. 87.

Teari fluminis pervenisset, ibi quoque cippum posuit qui aquae eius praestantiam laudabat, adventusque Darei regis memoriam servabat [1]). Certe lapides terminales iam fuerunt hae stelae quas Xenophon Anab. VII. 5. 13 dicit a Thracibus latronibus positas esse, ut fines indicarentur inter quos cuique eorum genti liceret naufragos omnibus exuere, ne scilicet inter ipsos raptores rixae et caedes orerentur, quae olim saepe factae esse dicebantur. Sed iam satis est de his pauca enumerasse, harum stelarum usus apud Graecos est notissimus, deque talibus agere a proposito nostro longius abest.

Fortasse non est alienum his addere locum Homeri in Iliade B. 303—333, ubi narratur serpentem, devoratis passere cum octo pullis in lapidem converti, quasi signum ab ipso Iove sociis Graecorum datum, decimo demum anno finem laborosi operis futurum esse, cum lapis ipse fidem verbi divini manifestiorem redderet.

Sed transgrediendum est ad ipsos qui agros dividebant terminos, et primo loco agemus de eorum materia, non enim semper lapidei tantum inveniebantur.

DE PALIS VEL STIPITIBUS.

Etiam lignei termini saepe memorantur [2]).

Hi enim sumebantur ubi lapides rari erant. Sic. Flaccus 138, 20—22: *In quibusdam vero regionibus palos pro terminis observant*, *alii iliceos*, *alii* etc.

Saepe, ut facile est intellectu, robur ad hunc usum eligebatur, quia in terra non putrescit et tempestati resistit. Interdum pice tegebantur, ut firmiores essent, sive sub terra sive intecti sub Iove ponebantur.

Piciti pali memorantur: 307, 5. 346, 9 *(picati)*, ubi additur eos sub terra inveniri et 346, 9. 361, 33 nulla adjecta explicatione. Ut facilius abditi pali invenirentur, signum super eos consecrabatur, *stella iunior* appellatum, quod stellae simile palis

---

1) Her. IV. 91.

2) vide e. g. Lactantium I. 20. Ovidium Fast. II. 641, 642.

affigebatur (346, 9) — 307, 5 sqq. Gaius auctor dicit eas *signatim ut inveniantur pali ipsi* consecrari [1]).

Du Cange s. v. *Stella iunior* haec habet: Stella iunior agrimensoribus est Decussis conduplicatus diductusque: iunior vero stella dicta, quasi ab ipsis mensoribus condita, adeoque post caeteras stellas nata.

Multus est sermo de *palis sacrificalibus*, et saepe de iis agitur, quales autem fuerint nusquam disertis verbis narratur.

218, 4. sq.: *terminos autem pro parte lapîdeos posuerunt, aliis vero ligneos, qui sacrificales pali appellantur.* Hoc firmatur 222, 15 sqq., ubi versu 15° *stipites oleaginei* dicuntur esse affixi, qui infra 223, 2 *pali sacrificales* appellantur [2]). In iis sacrificia fieri demonstratur: 43, 2—13. 73, 34—74, 10.

Pali sacrificales: 43, 12. 74, 10. 218, 5. 223, 2. 252, 17. 255, 23. 257, 24. 347, 10.

Frontinus 43, 3: *Plurimis deinde locis terminos sacrificales non in fine ponunt, sed ubi illud sacrificii potius oportunitas suadet, hoc est loci commoditas, in quo sacrificium abuti commode possint. Hos terminos non statim finitimos observare debebimus, etiam si non longe a fine positi fuerint: frequenter enim viae finiunt, iuxta quas arbores solent esse laetiores, sub quas defigere terminos sacrificii causa possessores consuerunt. verum tamen multi non tantum sacrificii secuntur consuetudinem, sed etiam rationem et ipso fine defigunt: propter quod adimi fides sacrificalibus palis in totum non debet.*

Eidem usui erant *termini sacrificales*, e lapide scilicet confecti. De his mentio fit: 43, 3. 73, 34. 127, 4. 221, 17. 227, 6. 401, 19.

Et postremo *arae sacrificales* 241, 5. 401, 5. quae arae formam habebant 241, 16 *sacrificales* legitur omisso substantivo, itemque 401, 19.

Pali dicuntur *lignei*: 142, 24. 252, 17 (351, 22 *ligna finitima*). *termini lignei*: 127, 3. 218, 5. 221, 17. 227, 6.

ilicei: 138, 21. 349, 15 (*de ilice* 307, 3).

---

1) Cf. et Colum. III. 13. 13 *stella faciem Graecae literae (X) obtinet.*
et III. 13. 12 *in speciem Graecae literae X decussavimus.*
Colum. IV. 17. 6 *in stellam decussari.*

2) Sed aliquid interesse videtur cf. Hyginum 127. 2 sqq. *alii ponunt (terminos) siliceos . . . . alii aut robureos aut ex certa materia ligneos, quidam etiam hos quos sacrificales vocant.* Fortasse forma fuit alia.

oleaginei 138, 21 (211, 12 *cyppi oleaginei qui loco termini observantur.* 222, 15 *stipites oleaginei*).

iuniperi 138, 21.

roborei 112, 12 (127, 3. 172, 6 *termini robourei*).

Pali actuarii Augusti tempore inveniuntur: 192, 9 sqq. dicit Hygenus:

Actuarios palos suo quemque numero inscriptos inter centenos vicenos pedes (i. e. inter singulos actus) *defigimus, ut ad partitionem acceptarum mensura acta appareat.* cf. 222, 16 sqq. ubi dicitur mediam partem inter Romam et Portum actis mensuris esse assignatam: *et stipitibus oleagineis adfixis numeri ad singulos angulos sunt designati quorum palorum loco postea lapides gregales ob numeros podismi custodiendos sunt adpositi. quibus etiam praeceptum est ut pali annui sacrificales renovarentur.*

DE TERMINIS COCTILIBUS ET EX LAPIDE FACTIS.

Si non aderant lapides naturales, coctiles termini qui ligneis erant firmiora, eundem praestabant usum. Talis terminus vocatur: *coctus*, *testaceus*, *ollaris* sive *ullageris*.

306, 21 *Terminus coctus testatius ullageris dicitur.*

342, 29. 346, 13 *terminus testacius.*

Hic adiciam alia signa quae item arte figuli fiunt, sc.:

Seria: 341, 28.

Vertices amphorarum defixi: 142, 1. 27. versu primo: *nam in quibusdam regionibus iubemur vertices amphorarum defixos inversos observare pro terminis.*

Laguinae: 308, 21. *Laguna:* 344, 25. *Laguena:* 346, 19.

Terminus laguenaris: 344, 25. Sed his locis lagenae quae dicuntur, sicut infra orcae (lagenares et orculares) et lapideae fuisse possunt.

Saepe lagenis adduntur *orcae* vel *orculae.*

Orcae 303, 14. 361, 28. *orcula:* 337, 21. 344, 26. 346, 19.

Terminus orcularis: 344, 25.

arca testacia: 334, 4.

Tegulae: 342, 29. 345, 11. 346, 22. — praeterea: 227, 15. 228, 25. 252, 4. 349, 13. 401, 15., ubi verba *quod tegulis construitur* inve-

niuntur addita canabulis et novercis (228, 25. *canabulis tantum*).

Imbrices: 342, 29. 345, 9. 349, 13. 361, 30.

Tegulae et imbrices saepe una commemorantur — quae ut supra iam dixi mihi videntur saepe sub terra locatae fines indicavisse — ex 345, 9. sqq. aliqua ex parte haec suspicio confirmatur: *si imbricem ante arcam inveneris constitutam vel tubulum in modum cursorii, rivum significat. Si vero tegulae, si tres inventae fuerint, trifinium faciunt.*

Isidorus 19. 10. 15: *Tegulae vocatae quod tegant aedes, et imbrices quod accipiunt imbres.*

In quibus regionibus non silva sed lapis supererat naturalis ratio ipsa suadebat ex hac materia lapideos figere terminos.

Saepe tamen, ut facilius perspici posset esse terminos qui collocati essent, ii eligebantur qui colore et habitu non similes essent illis qui lapides *nativi*, *naturales*, *enchorii*, *ex ipso metallo saxa* vocabuntur.

Nativa petra: 228, 13.

Lapis nativus: 335, 14. 337, 8. 362, 2. (*lapides nativae cum aliquo signo*).

Petra naturalis: 142, 27. 151, 15. 256, 11. 282, 3. 4. 309, 2. 4. 6. 9.

Naturales lapides: 262, 2. 302, 12. 306, 27. 307, 2. 4. 6. 9. 342, 16. 346, 7.

Enchorii lapides: 127, 2. 253, 21.

Ex ipso metallo saxa 350, 3. His *peregrini* opponuntur: 127, 2. 139, 13. 350,3.

139, 13: *qualescumque peregrinos lapides ut manifestum sit ex industria terminos finales positos.*

In fragmento ex libris Latini, quod de generibus lapidum finalium agit, multa eorum enumerantur, quae imprimis in Italia usui fuisse videntur:

a. lapis fluvialis, qui et *chromaticus* vocatur (306, 20) — et quem Isidorus (19. 10. 14.) dicit *semper veluti madentem esse*, idemque Plinius H. N. 36. 22. 49.

b. lapis Tiburtinus: qui caesalis dicitur (306, 20). Plinius (H. N. 36. 22. 48.) testis est hunc *ad reliqua fortem vapore dissilire.*

Igni igitur non resistebat, licet tempestatis esset patiens. Caedebatur propter Tibur. Eadem dicit Isidorus 19. 10. 5. Vitruvius

II. 7. 2 (29): *Tiburtina .. ab igni non possunt esse tuta, simulque sunt ab eo tacta, dissiliunt et dissipantur.*

c. lapis albus, qui silex vel *silicineus, si peralbus est Galliensis* (i. e. galaticus[1]) *(γαλάκτινος)*) vocatur. 306, 22. cf. 216, 8.

d. ignifer; 306, 23: (lapis alva) *si mixta vena habuerit, ignifera nomen habet.* Huic similis est qui *piperinus* sive *piperacius* vocatur. 306, 25 *terminus si venas mixtas habuerit, ficto aciem dicitur*, ubi Rudorff legit: piperacius. Isidorus 19. 10. 8: *Piperinus subalbidus cum punctis nigris, durus atque fortissimus.* Videatur etiam Du Cange qui dicit s. v. Piperatius: *asper* .. et citato Latino: *Terminus si aspratilis fuerit et mixta piperatia loca habuerit, sine dubio in trifinio constat* (309, 13. 14) — addit: *λίθον πιπεράτον* et *κίονας ἀληθοπιπέρους* habet Continuator Theophanis lib. III. num. 43.

e. varia genera tophi — mollis est tophus: *aedificiis inutilis mortalitate, mollitia. quaedam tamen loca non alium habent, sicut Carthago in Africa* (Plin. 36. 22. 48). Notum est etiam Romae solum magna ex parte ex topho constare.

Videantur etiam Isidorus 19. 10. 6 et Vitruvius II. 7. 1 (28) qui tria genera enumerat: rubrum, nigrum, album.

f. lapis molaris, cuius in Italia quattuor aderant genera: *albus, niger, permixtus ac fistulosus* (Isidorus 19. 10. 10.). De eo etiam agit Plinius 36. 19. 30 — lapis erat, non saxum sectile.

Idem Plinius *a quibusdam molarem pyriten vocari* adicit, *quoniam plurimus sit ignis illi.*

In provinciis transmarinis etiam marmorei termini inveniuntur variis coloribus, ita ab Arcadio afferuntur (351, 24. 25) *alii marmorei virides, alii palumbacii, alii prasini*, et in versu 26: *alii marmorei albi.* cf. Plin. 36. 7. 11.

Termini *Tiburtini*: 11, 27. 109, 11. 127, 1. 211, 10. 15. 220, 16. 17. 228, 7. 234, 14. 250, 7 (Tivortinus). 253, 6. 20. 254, 17. 255, 9. 22. 256, 21. 27. 259, 19. 260, 4. 281, 18. 282, 2. 347, 13. 352, 19. 406, 15 (Trivortinus).

Lapis Tiburtinus: 306, 20. 320, 5 (Tivurtinus). 336, 8.

Termini *silicei*: 109, 11. 127, 1. 139, 11. 216, 7. 217, 12. 219, 3.

---

[1]) Rigaltius ad pag. 304 ed. Goesii.

220, 16. 228, 20. 234, 13. 252, 17 (fortasse corruptum pro iliceis ut suspicatur Bursian). 255, 10. 14. 256, 27. 341, 25, 347, 13. 351, 18.

T. *ex saxo silice*: 194, 13. 212, 9. 242, 16.

Silices pro sua natura: 282, 1. *T. saxei* 214, 5.

Igniferi lapides: 282, 1; — *termini:* 347, 14; *ignifera lapis:* 306, 23.

Tufinei termini: 347, 14. 352, 20.

molaris lapis: 194, 14. 212, 9. 242, 16. 406, 20. *mol. petra:* 401, 20.

molares termini: 214, 5. 353, 27.

Marmorei termini in pagina tantum 351[a]. memorantur.

Complura genera lapidum enumerantur: 126, 20—127, 4; 306, 20—29.

DE FORMIS TERMINORUM.

Ex rudibus atque informibus, ut supra iam dictum est, paullatim termini varias accepere formas. De his nunc agendum est, nam forma ipsa interdum magni erat momenti, et per se, nulla addita inscriptione, rerum perito aliquid indicare poterat.

Dolabella 302, 2. 3 nos docet: *omnis terminus ab oriente lympidum latus habet, ab occidente roscidum latus habet.*

Summa pars termini, quae saepe erat plana, vocatur *vertex* (171, 16. 172, 7. 10. 173, 11) — *verticibus inscribi non facile potest*, narrat Hyginus 173, 11 sqq. ideoque in centuriarum lapidibus in verticibus aut nihil aut notae, numerusve centuriae (172, 7—14) incisum erat.

Latera autem lapidum recte inscribuntur quoniam ampliores capiunt numeros: addit Hyginus. *Lateris* verbo quae pars lapidis indicetur, facile est intellectu; etiam perspicuum est anteriorem lapidis partem *frontem* vocari quod verbum apud Gromaticos tamen non inveni.

Graccani lapides in Libro coloniarum (242, 8. 9) dicuntur habere *in capite diametrum pedem unum et pedem unum et semis.*

Anguli vel acumina in summa parte lapidum *acies* vocari videntur: Latinus 306, 16 sqq.: *Quoniam terminus si in tres acies constitutus fuerit, tres lineas auctoris ostendit; si in quattuor acies, quadrifinium facit.* Figurae quae in editione Rudorffii

adduntur indicare videntur, eo quod latera horum terminorum subcavi sint, in summa parte tres vel quattuor effici angulos acutos:)‾(. Goesius in Indice s. v. acies dicit: est angulus termini. Num igitur vera sint quae habet Du Cange in Glossario s. v. *acies* terminorum: ,,qua invicem concurrunt'', quam explicationem probat ex loco Latini (in editione nostra Gai) supra citato, disceptare non ausim.

Magis placent quae infra sub eadem voce affert:

acies: angulus, cornu (Gall. coin) Pontif. Mogunt. ms. fol. 87: Benedictio lapidis itinerarii .... in medio lapidis et per quatuor eius acies. Infra scriptum est: per quatuor eius cornua — eodem, ut videtur, sensu.

Tribus praeterea locis Agrimensorum *acies* legitur: 307, 7 sqq., 344, 15. 345, 3.

Gaius 307, 7 sqq. haec habet: *Terminus si una acie reproba habuerit, hoc est non aequalem aciem, ipsum quoque reprobum reputamus, id autem ponitur aliquando in trifinium, in quadrifinium autem reprobus non ponitur, nisi solidus lapis.* Reprobus est reiectus, reprobatus, *ἀδόκιμος,* ut Ulpianus l. 24 § 1. Dig. XIII. 7 habet: *reprobos nummos* pro: adulterinos. Rudorff II p. 275 haec habet: ,,reprobi mit blinden Ecken, nicht zu verwechseln mit stumpfen Winkeln'', quibis verbis, satis obscuris, indicare fortasse voluit hos lapides unum angulum habere non acutum sed rotundum, ita ut angulus non iam recte dici possit.

Vitalius et Arcadius auctores 344, 13 sqq. habent: *Terminus reprobus in fine ponitur: in trifinio autem reprobum non posuimus nam obtunso angulo posuimus in trifinio, non reproba acie.* Quid igitur inter reprobum et terminum obtunso angulo intersit, non clare apparet. Audiamus igitur Goesium qui in Antiquitatibus Agrariis de his lapidibus haec habet (cap. XI p. 98 sqq.):

,,Sed forte non omnes primo intuitu pervideant qui sint *termini obtuso angulo*, illique qui dicuntur *reprobi* vel *acie reproba.* Hi enim termini inter se differunt, si Vitali et Arcadio credimus, quorum haec habemus verba: (sequuntur 344, 13 sqq.). Quis vero aut hic aut ille sit cum nusquam indicetur, nobis id erit expiscandum. *Obtuso angulo* non videbitur qui hebetem habet angulum, sive recto maiorem, sed forte non iniuria

dicemus eum, qui quum tres habeat angulos rectos, quartum tamen non habet, verum eius loco circuli partem. Ita ut credam facit Lucretius qui ita libro quarto de Rerum natura[1]).

Quadratasque procul turreis cum cernimus urbis
Propterea fit uti videantur saepe rotundae,
angulus obtusus longe quia cernitur omnis.

Ergo videri obtusum et videri rotundum ipso Lucretio interprete idem est. Corpora vero rectangula e longinquo apparere circumferentiarum forma, non tantum hic indicat Lucretius, verum docet etiam Heliodorus opticorum libro secundo. Hic ergo terminus obtuso angulo est, qui anguli quarti loco circumferentiam habet, sed cum habeat tamen tres angulos non immerito secundum Vitalem et Arcadium in trifinio ponitur, ut tribus angulis tres affines demonstret. Ab hoc *obtuso* cum differat qui est reprobus vel acie reproba, et tamen cum eo qui est quadratus non conveniat, ut vel nomen evincit, restat ut eum esse dicamus qui unum tantum angulum rectum habet et huic oppositum, hebetem sive recto maiorem. Unde evenit, ut duo anguli reliqui recto sint minores, sibique aequales. Et haec interpretatio convenire his videtur Caji verbis (sequuntur verba Gai 307, 7 sqq.). Hunc *solido lapidi* opponit idem Caius, habenti scilicet quatuor latera et angulos aequales."

Sed cur non tres anguli recto minores esse possunt, cum tertius est reprobus i. e. non aequalis? E. c. tres continent 80 gradus, ut nostrates dicunt, et quartus 120? Hoc mihi quidem verisimilius esse videtur, *unus* enim angulus non aequalis esse debet. *Solidus lapis*, ut idem Goesius dicit in Indice, est: quadratus aequis lateribus angulisque.

345, 3 iidem auctores dicunt: *ipse acies extenduntur*, i. e. per has acies limes demonstratur.

Pars anterior termini *frons* vocatur: 343, 19: *Sed* ⟨*qui*⟩[2]) *in quadrifinio constant in fronte conlimitare debent* (i. e. mutuo respectu limitem ostendunt. — Rigaltius in glossis s. v. conlimitare).

Plurimae terminorum exstant formae: *trigoni*, qui *orthogonii*,

---

[1]) De Rerum Natura IV. 351 sqq.
[2]) hoc adicit Goesius.

oxygonii, *amblygonii*, *scaleni* esse possunt; *quadrati*, *parallelogrammi*, *rhombi*, *rhomboidae*, *trapezia*, *pentagoni*, *hexagoni*, *septagoni*, *rotundi*, cet.

Omnia illa nomina spectant, ut facile apparet, ad partem lapidis superiorem quam secturam appellare mihi liceat.

trigoni termini inveniuntur: 228, 8. 341, 12. 241, 10 *in trigonium constituti.*

249, 8 *solus trigonus ilia iactat:* item 405, 5.

341, 2 *trigonus orthogonius* (legitur hortogonius).

341, 8 *trigonus oxygonius.*

342, 5 *lapis gammatus*, *qui trigoni recipit rationem.*

341, 11 *trigonius amoligonius* (fortasse pro: amblygonius?).

Isosceles: 249, 3. 7 (*isosceli* et *isoscaeli* (sic!) 340, 26 (*isoscelis*). 404, 16. 405, 4 (*Isoscelis est triangulum quod duo tantum modo latera habet aequalia* 378, 12 sq.).

Isopleuri: 249, 2 *(isoplerus).* 341, 9. 404, 15 (Trigonus isopleurus etiam vocatur: *aequilaterum triangulum quod tribus aequis lateribus cluditur* 378, 11 sq.).

249, 1 et 404, 14 legitur: *orthogonus* (*ortogoneus*) *rectum angulum mittit*, positus igitur ibi talis lapis esse videtur ubi finis angulum rectum describit. Deinde sequuntur verba: *isopleurus rectus subter constitutus.* Possuntne haec indicare tunc isopleurum terminum poni, cum angulus quem finis describit minor est recto? Vide etiam 199, 6 ubi legitur: *ubi fines angulum facient ternum angulorum aras ponemus.*

341, 10 *scalenon (σκαληνόν) quod tria latera inaequalia possidet* (378, 13. 14). 249, 4 et 401, 5 legitur: *exculinus sive exagineus* (*exagmeus*), quod procul dubio corruptum est ex:

scalenus sive oxygonius.

Hi igitur loci superioribus adiungi possunt.

quadrati 206, 6. 240, 4. 242, 1 (*petrae quadratae*). 243, 4. 254, 16. 345, 1. 346, 25. 348, 11. 402, 1 (*petrae quadratae*).

in tetragonon constituti: 228, 8.

quadrus terminus: 342, 16. 346, 28. 353, 3.

in quadrum dolatus terminus: 305, 13.

quadratus similia angula habens: 345, 1.

parallelogrammi: 340, 27. (249, 9. 405, 6 *pararerogamus pentagonus*).

t. qui recipiunt mensuram parallelogrammam: 223, 4.

paralleloneus terminus: 309, 14.

pentagoni: 249, 9 (prave hic et 405, 6 verba *pararerogamus* et *pentagonus* in uno versu sunt scripta, cum *pentagonus* in sequenti linea legi oporteret — ita ut sequerentur: *parallelogrammus* (9), *pentagonus*, *exagonus* (10), *septagonus* (11), etc. Quid enim sit parallelogrammus pentagonus, qui explicet, non facile invenietur.

lapis cultellatus qui pentagoni recipit rationem: 342, 2.

Praeterea *pentagoni* legitur: 343, 18: *Termini si tres fuerint in unum, pentagoni vocantur*, ubi Goesius in notis ad pag. 249 dicit: Imo trigoni quoniam triquetram dant figuram.

Rhombos: 341, 4 (*hoc aequilaterum quidem est, sed rectiangulum non est* 378, 22); *conplactus rumbus ampligoneus*: 250, 16. item 405, 14: *conplactus rombus ampligmeus* pro: amblygonius. *Sumbus sive trapizeus:* 249, 6 (*subus sive trapideus*: 405, 3).

Rhomboides: 341, 7 (*quod in contrarium conlocatas lineas atque angulos habet aequales, quod nec rectis angulis nec aequis lateribus continetur* 378, 23 sqq).

Trapizeus 249, 6; *trapideus* 405, 3; *trapeteus* 341, 5.

Trapeadi 343, 9.

De *pentagonis* iam egimus.

Hexagoni: 249, 10. 405, 7 (utrobique legitur *exagonus*).

Septagonus: 405, 7; *septagenus:* 249, 11.

Rotundi termini: 212, 10. 213, 8. 240, 2. 20. 250, 25. 255, 18. 257, 27. 259, 24. 305, 24. 348, 1. 353, 4. 360, 9. 361, 5. 401, 1. 405, 22.

249, 12 et 405, 9 legitur *sinagonus*, quod quid sit nescitur, Goesius legere voluit s*e*nagonus, senos habens angulos, quod non valde placet, cum sinagonus legatur post *septagonum*, et potius ibi maior quam minor numerus angulorum exspectetur. Fortasse simagonus? vel simogonus? Non minus incertum est quid sint *simmati* qui 250, 5 et 406, 13 inveniuntur. In Indice Bursian suspicatus est: simatus, sed fortasse pro *sigmatus?*

Amicirculus (i. e. hemicirculus): 250, 8. 17. 405, 15. 406, 16.

250, 17 et 405, 15 legitur: *amicirculus quadratus.* Nisi talis lapis constitit ex quadrato, quo hemisphaerium impositum est, quid et quale fuerit non facile poterit dici. Fortasse huius quoque generis habendi sunt etiam *emicicliores* qui 344, 16 memo-

rantur, et in capitibus centuriarum sub terra positi esse dicuntur, quod saepius fieri etiam ex 353, 11 sqq. apparet, ubi nobis narratur in cursoriis talium terminorum litteras insculpi solitas esse, quas certo ordine se excipere oportebat. Si quorum intererat, hunc ordinem noverant, vel in scripto habebant, ita quoque facile finium perturbatio demonstrari et prohiberi poterat. In paginis 340 et 353 tales ut dicuntur *litterae singulares* inveniuntur: *sic uti se sequuntur, ita terminos ostendunt*, vel *se invicem ostendentes* ut in pag. 340 legimus. Ex his apparet non tantum in Italia (in provincia Tuscia et maxime iuxta fluvium Nemus), sed etiam in Africa et Mauritania hunc morem exstitisse.

Sed etiam alia exstant nomina quae magis, ut ita dicam, spectant ad totum lapidis corpus.

Sic legitur *terminus in summo acutus:* 250, 14. 19. 405, 11. 406, 19. 250, 15: *circulatus per ramos mitae acutae similis*, i. e. circulat$\overset{a}{u}$s pyramis metae acutae similis.

405, 12: *circulatus peramus item acuto similis.* (405, 11 legitur: *terminus in summo acutus*), quod etiam est: circulat$\overset{a}{u}$s pyramis.

405, 13: *item perramus vittae praecisae similis*, ubi etiam sine dubio *metae praecisae* et *pyramis* est legendum.

Metae praeterea terminorum vice funguntur: 240, 5 et 401, 21.

Bifurci samadarci vocabantur ii termini qui in vertice duo habebant acumina ut Latinus dicit 305, 22: *Terminus si bifurcus fuerit, samadarcus dicitur, trifinium facit.* Hoc genus terminorum saepissime in trifiniis collocari apparet etiam ex 360, 20 sqq.: *Terminus si tres petras circa sese habuerit, trifinium demonstrat. talem terminum nomine bifurtium samartia vocatur et habet arcam in trifinio.* Praeterea 363, 3 legimus: *B si in termino inveneris, bifurtium ostendit aut rivum significat.*

Subcavi termini (Goesius in Indice: „qui in uno latere aliquantulum sunt excavati in modum scuti.") saepius memorantur: 305, 20 dicit Latinus: *Terminus si subcavus fuerit, lavacrum significat.*

Vitalis 307, 17 sqq.: *Terminus si in medium limitem constitutus fuerit, et unam partem subcavam habuerit, tres monticellos*

transit, et in tertium monticellum arcam circa lavacrum significat, et ipsa arca in quadrifinium constituta est.

Vitalis et Arcadius 345, 15 sqq.: *Terminus in medio limite si fuerit constitutus et unam partem subcavam habuerit, tres monticellos transit, et in tertium monticellum arca circa lavacrum significat, et ipsa arca in quadrifinio est constituta.*

Fere eadem igitur verba.

Vitalis denique 352, 8 sqq.: *Terminus si in medio limite constitutus fuerit et unam partem subcavam habuerit, in tertio monticello arcam circa lavacrum significat et ipsa arca in quadrifinio est constituta.*

Lapis damnatus qui 342, 12 occurrit, eiusdem fere generis fuisse videtur, ut apparet ex figura in editione agrimensorum addita.

Arcae. Has nusquam non invenimus apud gromaticos.

Du Cange s. v.: ,,signa finalia per possessionum extremitates constituta sive constructa .... est igitur nomen genericum quo termini omnes significantur..... At cum *Arcae* a caeteris limitibus forma et figura diversae fuerint, censendum potius peculiarem et propriam fuisse appellationem certi cuiusdam termini, cuius cum usus creber esset in finiendis agris, factum inde, ut caeteri limites *Arcarum* vocabulo intelligerentur. Nam Hygenus de Limitib. Const. pag. 222 *Arcam* repraesentat forma quadrata, atque intus cava, quem ad modum sunt *arcae* sive cistae, unde et nomen inditum; cum caeteri limites, ut varia et diversa figura, ita et appellatione ab eodem donentur.'' Deminativum ab arca formatum est: *arcella.* Bursian in Indice locos ubi haec verba leguntur enumeravit, praeter 316, 10. et 333, 19. Tamen semper apud gromaticos diligenti cura est videndum, utrum arca sit *arca sepulcralis* necne, nam et hunc sensum saepe apud eos habet.

Quales fuerint qui vocantur *normales* (vel *normalia*): 12, 19. 126, 12, dicit Forcellini (De Vit) sub voce (4ª. ed. tom. IV. p. 290): ,,est terminus ad quandam normam exactus''. Goesius in Indice et in notis *normale*: per *rectum* explicat. Quoquo modo res se habet, quod legitur 341, 22 *formalis*, mea opinione etiam in *normalis* est mutandum.

Variis modis a marmorariis tractabantur, olim enim ipsa

magnitudo lapidis indicabat eos esse terminales[1]), *informes* erant *atque rudes* (Lactantius I. 20), postea tamen artificiosius dolabantur.

Aspratiles vocantur ii termini qui omnium minima arte tractati esse videntur. Goesius in Indice eos sic dictos putat ab asperitate ut qui non sint perdolati.

306, 26: *Dicitur aspratilis qui velut signinum coagulatus lapis naturalis fuerit.* Quid sit *opus signinum* narrat Plinius H. N. 35. 12. 46. 165: *Quid non excogitat vita fractis etiam testis utendo sic ut firmius durent, tunsis calce addita quae vocant Signina*[2])*?*

Praeterea legitur: *terminus aspratilis*: 309, 13.

319, 2: *terminus hoc est petra aspratilis*: ex quibus verbis satis apparet his terminis non nimium operae impendi.

320, 25 *fines* (i. e. termini) *aspratiles.*

Itemque 322, 17 et 341, 23.

Medium locum habebant termini *taxati a ferro.* „Id est marculo ferreo facti, perstricti, notati. ita loqui placuit agrimensoribus." Rigaltius Observ. ad p. 248.

Taxare, ut dicunt Gellius II. 6 et Macr. Sat. 6. 7, *pressius crebriusque est quam tangere.*

Tales memorantur: 342, 23. 345, 13. 346, 21. 352, 20.

342, 24 adiciuntur verba quae memorare in nostram rem est: *petrae taxatae n o n p e r d o l a t a e a ferro.*

346, 21 *a ferro non taxati.*

Neque multum ab his differre potuerunt ii de quibus 350, 3 sqq. dicitur: *ex ipso metallo saxum a ferro signavimus.*

Ex omni parte elaborati erant termini qui dicuntur: *politi* et *dolati.*

Politi lapides: 194, 14. 206, 5.

Politi termini: 127, 2. 139, 14. 212, 10. 306, 27. 362, 12.

Dolati termini: 281, 19 (*de omni parte dolati*).

---

1) E. g. Vergilius Aeneis XII. 896 sqq.:
Nec plura effatus saxum circumspicit ingens
Saxum antiquum, ingens, campo quod forte iacebat
Limes agro positus, litem ut discerneret arvis:
Vix illud lecti bis sex cervice subirent
Qualia nunc hominum producit corpora tellus, cet.

2) cf. Colum. I. 6. Vitruv. 8. 7. sqq. Pallad. I. 17.

Doliti termini: 306, 24 (*non doliti*).

342, 1 *lapis non dolitus in cursorio positus.*

Dolatiles: 362, 18.

Etiam qui vocantur *tornatiles*: 361, 4. 362, 19 huius generis existimandi sunt: *termini factura tornatilis*, *hoc est rotundi*, *subtilissimi:* 361, 4.

Fortasse etiam hic memorandi sunt qui 362, 18 vocantur: *scutanei hoc est dolatiles.* Scutaneus mihi videtur cohaerere cum verbo sculpere — quasi scultanus, ut *scultor* et *scultura* pro sculptor etc. leguntur apud Du Cange s. v. 341, 12: *sculteilatus*; 249, 5 et 405, 2: *excutellatus lateribus* ab eadem radice orti esse possunt. Bursian pro *sculteilatus*: scutulatus proponit, quod minus placet et melius de veste quam de lapide dici potest. Formas horum verborum restituere non audeo, sed hanc radicem in iis latere mihi probabile videtur.

342, 2 praeterea legitur: *lapis cultellatus qui pentagoni recipit rationem* — eodem referendum censeo.

Quid inter terminum et cippum monumentalem interesset, facile apparet ex compluribus locis, nam eos confundi posse dicit Siculus Flaccus 139 in fine — 140, 4: .... *quoniam sepulchra in extremis finibus facere soliti sunt et cippos ponere*, *ne aliquando cippus pro termino errorem faciat: nam in locis saxuosis et in sterilibus etiam in mediis possessionibus sepulchra faciunt.*

306, 27 legimus: *terminus si superius politus fuerit*, *et inferius subulis inpolitus*, *monumentalis est*, *non habet fidem finitionis.* Et 281, 19 sqq. *nam si superior pars tantum dolata est et inferior subtus inpolita derelicta*, *cippus ominandus est monumentalis esse*, *non terminatus.*

Num verbum *subulis* 306, 28 sanum sit, dubito: subtus?

Quod ad magnitudinem terminorum pertinet, facile est intellectu eos e. c. qui vocantur *territoriales* (inveniuntur: 4, 21. 19, 19. 114, 7. 14. 163, 20 sqq. de iis dicitur: *Territoria alia fluminibus finiuntur .... alia etiam lapidibus positis presignibus*, *qui a privatorum terminorum forma differunt*) vel alios quos magis esse conspicuos publicae utilitatis interest, etiam caeteris maiorem formam habuisse.

Hoc disertis verbis nobis narratur de terminis qui prope flumina sunt positi, 343, 6 sqq.: *Termini sunt maiores, qui iuxta flumina positi sunt, mensales vocantur: alii autem bases eos dicunt, alii autem tetrametra i. e. quibus constant mensulae quae trapezia vocantur. Et in modum platumae eos posuimus, ut qui nesciunt, miliarios eos putent.* Correctionem Rigaltii in observationibus ad pag. 248 recepi.

Du Cange s. v. *Platonae* (platoniae, platumae) haec habet: „dicta marmora, in tabulis dissecta, et Gr. *πλατύνιον*, ut videtur. Cum enim marmor maioris sit pretii quam lapides caeteri, non quadratum, sed in tabulas dissectum, vulgo in opus mitti solet." Deinde citat locum qui supra est laudatus, et annotat: „ubi male editum: *platumae*". Inter eos quos apud eum invenies locos, optime sensum huius verbi ostendit Hieronymus Rubeus in Histor. Ravennat. ex vita S. Maximiani Episcopi Ravennat. lib V. p. 238.:

Fabris mandavit, ut tabulam ex marmore, quam appellabant Graeca voce Platoniam, tollerent.

Bursian in Indice: „an e Graeco *πλάτυσμα* corruptum est?"

Sed non magni est momenti, quid verbum significet, satis liquet. Hic habemus igitur novam lapidis terminalis formam, tabulae sc.

Sed nonnumquam hos terminos altissimos fuisse vel inde apparet quod ei quorum inscriptiones leguntur C. I. L. II. 857, „metra Gallica octo ad novem" alti fuisse dicuntur.

Etiam hi termini inscriptionibus plerumque erant insignes. Diligentior perscrutatio inscriptionum superstitum, quam postea instituturus sum, fortasse utilia docebit. Nunc satis sit dixisse figuram 208am. talem lapidem cum inscriptione ostendere.

Sed etiam termini qui eiusdem territorii vel fundi, indicabant finem, inter se non erant aequales.

Qui eorum maximas exhibent mensuras vocantur:

maximi (344, 9), *egregii* (220, 4. 340, 24), *robusti* (212, 12. 340, 24). Aliquid de magnitudine horum affert 340, 24: *Terminus egregius qui et robustus, quinquepedalis.* 220, 4: *egregios terminos inter privatos posuit brevi intervallo.*

Epitecticales terminos, forte quia sint *ἐπιδεικτικοὶ*, recturam aliorum terminorum ostendere et commonstrare, putat Rigaltius in glossis.

Hi saepe enumerantur: 307, 13. 341, 14. 344, 6. 9. 345, 22. 346, 18. 352, 17.

344, 6: *Terminus epetecticalis sive in finitione agri sive praefecturae extenditur in ped CCCC et ped DCCC* conveniunt cum iis quae leguntur 346, 18: *Termini epetecticales in centuriis et in cardinibus habent inter se ped DCCC.*

Epetecticalis in trifinio: 341, 14. Sed etiam in quadrifinio inveniri possunt: 307,12: *Et quattuor lapides in quadrifinium constituimus, si extra quattuor lapides fuerit, epetecticales observentur* — quibus respondent 344,7 sqq.: *in quadrifinio vero si plus a quattuor lapidibus fuerint inventi, epetecticales vocantur.* Ex sequentibus: *nam terminus iste maximus appellatur*, apparet eos inter maximos haberi.

Epitecticalis subsecivorum legitur: 345, 22 et etiam legendum est, ut mihi videtur 352, 17 — sed quid sibi velint quae corruptis illis verbis dicantur, mihi non liquet.

Etiam 337, 8 *lapides nativos . . . in epitecticum adsignavimus* fortasse huc pertinent.

Incipiens terminus: ,,a quo rectura incipit'' (Goesius in Indice) legitur 25, 21. Idem vocatur *praesidens* 346, 27. Ab his enim finis incipit, vel ad eos redit.

Cursorii vocantur minores termini qui finem potius sequuntur quam indicant. Saepe de iis est sermo: 241, 9. 250, 20. 309, 27. 320, 11. 337, 23. 338, 1.

342, 1 (*lapis non dolitus in cursorio positus*). 342, 7 (*lapis intra lapidem in cursorio*) 343, 26. 27. 344, 19. 345, 10. 26. 346, 16. 28. 353, 12. 401, 13. 402, 5. 405, 17.

In cursorio praeterea legitur: 346, 1. 30. 349, 9. Num *decursorii* 313, 8 corruptum sit pro *cursorii* est incertum.

Goesius in Indice dicit eos esse quadratos, in acumen desinentes. Sed hoc verum esse non potest — extant quidem quadrati, sed non omnes hanc formam habent (346, 28 *termini quadri cursorii*, de quibus additur: *qui nesciunt eorum mensuram, non eos intellegunt, an in trifinio an in cursorio sint* (346, 29): parvi igitur hi fuisse non possunt). Quales sint cursorii clare apparet ex 346, 16:

per terminos cursorios de trifiniis in quadrifiniis haec mensura constat. Igitur non ponebantur in quadrifinio vel trifinio,

sed indicabant rigorem et hunc sequebantur. (e. g. 353, 12: *hae vero litterae in cursoriis eorum terminorum sunt, qui in trifinio aut quadrifinio sub terra, sicuti se sequuntur, inveniuntur*).

343, 26 *a termino cursorio, qui de quadrifinio egreditur.*

Interdum lapides eiusdem coloris ponebantur in quadrifinio et cursorio: 345, 27 sqq.: *Et si termini uno colore in quadrifinio et in cursorio positi sunt, reverti ad auctorum sublimitatem iubemus, et quod iusserint observetur. nec enim verecundum sit frequenter ad auctorum doctrinam reverti. quotiens enim legeris singularum litterarum interpretationem, sine dubio artificiosius terminabis.* Haec verba, quibuscum conferenda sunt ea quae de *litteris singularibus* dicuntur, nos docent haec et alia multa ab auctoribus doceri, variosque terminandi modos tamen certis normis et rationibus paruisse.

Saepe legitur: *spatula cursoria*, sc. 240, 5. 250, 29. 31. 254, 17. 255, 18. 257, 27. 347, 14. 406, 4. 6. Melior scriptura esse dicitur *spathula. Spatula* tantum: 341, 13. Ex 240, 5: *cursorias spatulas vel metas* apparet quam formam haberent, rotundam sc.

241, 9. 401, 13 termini cursorii *in effigiem tituli* memorantur, quod Goesius mutare voluit in *tutuli*, cum Lachmannus in ann. ad pag. 228, 8 scripsit: ,,tituli] id est nominis sui'', quod multo probabilius videtur, licet Goesium 345, 10 *tubulum in modum cursorii* magis tueri videatur, attamen 402, 5 *sed in effigiem Terminorum positi sunt quos cursorios vocamus* clare demonstrant Lachmannum dicere verum. Verba quae antecedunt 402, 3 *non enim omnis titulus* (i. e. terminus, quem locum Lachmannus in rem suam afferre oblitus est cf. 364, 3 *finales tituli* et 242, 1) *inscriptionibus est indutus, quoniam aliquibus locis non sunt lapides scripti, sed in effigiem Terminorum positi sunt quos cursorios vocamus*, (quod idem dicit Nipsus 293, 2 sqq. de iis lapidibus qui in nonnullis regionibus in capitibus centuriarum sunt positi) hic perscripsi quia inde apparet tantum iis a Romanis agrimensoribus tribui momenti, ut, nisi forma ipsa (forma *tituli* i. e. Termini, sub forma Hermae ut puto, vel *spatulae*) qui qualesque essent indicaret, litteris solum singularibus certo ordine se sequentibus, distinguerentur. Utilissimus est locus Siculi Flacci quem hic laudare ratio suadet 142, 5 sqq.: *In quibusdam vero regionibus saepe per longum*

spatium et inter multos possessores rigores dumique finem faciunt, et aliquando tantum modo per singulorum possessorum spatia, id est a capite usque ad caput, positi inveniuntur termini, hoc est a fine incipiente usque ad finem deficientem, unde alterius possessionis finis incipiat observari. Quidam vero in mediis spatiis plures interpositos habent. Licet nomen ipsum cursorii hic non legatur, hos dici perspicuum est.

Hic observare mihi liceat etiam extare terminos qui *incursorii* appellantur 336, 22: *contra orientales partes terminum qui modius appellatur, incursorius appellatur.* — ,,quasi non cursorius, hic enim forma quadrata est'' scripsit Goesius in Indice, minus feliciter excogitata etymologia! Eaedem Innocentii Casae Litterarum quae aenigmatis scatent nobis afferunt formam *decursorii* 313, 8. Sed de his nunc quidem praestat tacere.

Inter terminos maioris momenti etiam eos duci oportet qui in coxis vel versuris sunt positi: *in quibusdam enim regionibus in versuris omnibus binos posuerunt ita ut suos quisque rigores intueretur* (139, 17—19), et certo *termini omnibus angulis coxisque positi esse debent* ut idem Siculus Flaccus narrat 142, 4.

Sic et de *subcumbis* qui appellantur terminis haec legimus 305, 9 sqq. *Terminus si subcumbus positus fuerit, limitem ostendit. Quidam maxime per convallia pergunt. si autem in plano subcumbus positus fuerit, ubi vallis non sit, in proximo ante se claudet finem.* 360, 4: *Terminus si succumbum fuerit, limitem ostendit aut vallem desiderat.* Ex figura quae addita est in libris manuscriptis apparet *subcumbum* fuisse lapidem in obliquum positum, qui igitur quasi subtus cedat.

Infra agemus de rotundis terminis qui fere ubique in coloniis inveniuntur, et quos lex ibi poni iubebat. Hi igitur inter *robustos* (212, 12) numerabantur, sicut etiam ii qui his sunt pares et dicuntur *medii* sive *epipedonici:* 213, 9 sqq. *Sunt et medii termini qui dicuntur epipedonici, pedem longum crassum, et distant a se in pd. MCC. ceteri proportionales sunt et intercisivos limites servant; quos veterani pro observatione partium statutos custodiunt, qui non ad rationem vel recturas limitum pertinent, sed ad modum iugerationis custodiendum et distant a se alius ab alio pedes sescentenos.* Sed 409, 20 sqq. ubi eadem fere iisdem verbis narrantur, non *proportionales* legitur, sed *reportionales.*

Item 211, 15 sqq. narratur in territorio Panormitanorum (in Sicilia) praeter terminos Tiburtinos pro parte scriptos, etiam alios esse: *Sunt et cyppi oleaginei qui loco termini observantur et distant a se in pedibus CL CC CCL CCCC DL prout ratio postulabit: nam sunt termini proportionales, quos milites veterani inter se emensos posuerunt et custodiunt lineas consortales.*

Etiam alio nomine hi vocantur sc. *comportionales.* Hi apud gromaticos memorantur: 10, 16. 26. 11, 10. 40, 1. 11. 16. 70, 25. 71, 8. 14. 347, 22. 388, 24 (ubi a Lachmanno e contextu amovetur). 389, 12.

Audiamus quid de iis dicatur: 10, 26 sq. = 40, 10 sq. = 71, 7 sq.: *Hos terminos qui intra possessionum fines inveniuntur, comportionales appellavit antiquitas.*

Et praeterea: 10, 21—25 = 40, 5—10 = 71, 3-7: *nam si veteranus, filiis suis unam possessionem dividens in tres aut quattuor portiones, terminos voluit interesse, potuit quiddam tale contingere, ut ex multis quicumque respiceret angulum illius termini qui in maximo est limite constitutus.* Et 11, 9 sqq. = 40, 16 = 71, 14: *tum de comportionalium terminorum positione, quos vice tabellarum antiqui intercidendis porciunculis inter filios suos defigebant.*

Tertium adhuc genus lapidum in coloniis est numerandum, *pleurici* sc. 224, 3 sqq.: *termini pleurici positi, qui rationem observationis tantum ostendunt quam recturam limitum.*

Nomen ipsum indicat eos in latere e. g. viae (Rudorff II. p. 403) esse positos et finem agri colonici indicavisse.

Quod ad magnitudinem terminorum pertinet, haec memorantur:

Terminus brevis: 305, 24. 308, 26. 362, 19 (*breviores hoc est minores*).

T. subtilissimus: 361, 5. 363, 20.

T. subteriores: 323, 2.

T. angustus: 250, 18.

T. micidiores: 321, 24. (*micidiores, hoc est minores*) Rigaltius in observationibus ad pag. 230 hoc verbum derivat a forma Laconica: *μικκός* pro Attico *μικρός.*

DE SIGNIS QUIBUS TERMINI DISTINGUEBANTUR.

Primo loco agendum est de signis antiquissimis, sc. iis quae sub terminis inveniebantur, haec enim sunt antiquissima et posteriore tempore paullatim sunt abolita.

Siculus Flaccus 140, 10—141, 4 haec habet: *Quibusdam autem placet et videtur utique sub omnibus terminis signum inveniri oportere. quod ipsud voluntarium* [*non necessarium*] *est. si enim essent certae leges aut consuetudines aut observationes semper simile signum sub omnibus terminis inveniretur: nunc, quoniam voluntarium est, aliquibus terminis nihil subditum est, aliquibus vero aut cinus aut carbones, aut testea aut vitrea fracta aut asses subiectos aut calcem, aut gypsum invenimus. quae res tamen, ut supra diximus, voluntaria est. Carbo autem aut cinis quare inveniatur, una certe ratio est: quae apud antiquos est quidem observata, postea vero neglecta; unde aut diversa aut nulla signa inveniuntur.*

Ratio autem illa, quae haec signa subdi iubebat, erat haec: primo ut postea cum controversia de finibus orta esset, arbitro [1]) qui litem dirimeret, cognitio facilior esset, deinde quod ea quae a Flacco enumerantur signa tempore et mala tempestate non corrumpuntur, sempiterni igitur testes sunt veritatis [2]).

Haec confirmantur a teste anonymo 359, 24 sqq.:

Quia de limitibus curavimus exponere, sub terminis qualia signa inveniuntur? aut calcem, aut gypsum, aut carbones, aut vitria fracta, aut cineres, aut testam tusam, aut decanummos

---

[1]) Controversia de finibus orta legis actio per arbitri postulationem competivisse videtur. Cf. Cic. de leg. I. 21. 55: *Controversia est nata de finibus, in qua . . . . . e XII tres arbitri fines regemus.*

cf. Ed. Cuq. Institutions Iuridiques t. I. p. 352.

Bruns Fontes Iuris Romani p. 27.

Dirksen, Übersicht der bisherigen Versuche zur Kritik und Herstellung des Textes der Zwölf-Tafel-Fragmente, 1824, p. 475.

Schoell, Legis XII Tabularum Reliquiae 1866.

Moritz Voigt, Die XII Tafeln t. I. p. 724.

[2]) Augustin. de C. D. 21. 4: *Tanta firmitas ut nullo humore corrumpantur, nulla aetate vincantur, usque adeo ut eos* (carbones) *substernere soleant, qui limites figunt, ad convincendum litigatorem, quisquis post quantalibet tempora extiterit, fixumque limitem non esse contenderit.*

vel pentanummos. haec signa si inveniuntur, una certatio est ad iustitiam antiquitus quando terminos constituimus, quoniam res voluntaria est, siquis novit geometricae artis philosophiam, novit haec signa terminorum diligenter exponere.

Quae verba, satis obscura et certe non sana, hunc tamen sensum habere videntur.

Haec signa *subdita* appellantur (142, 19), neque sunt confundenda cum lapidum fragminibus cet. quae circum terminum calcantur ut firmius stet (212, 14; 346, 22: *nam alios tegularum fragminibus circumcalcavimus, alios autem sua caesura suffulsimus: aliquibus nihil est subditum*).

141, 15 sqq. *adiectis* (sc. in lapidum fossis) *etiam quibusdam saxorum fragminibus circumcalcabant, quo firmius starent.* quod 362, 13 sqq. dicitur: *subtus terram decisimus ut firmarentur lapides.*

Praeter ea quae supra enumeravimus 361, 31 legimus:

Collectaculum de carbonibus in calce miscitatos et glerias fluminales ne dispicias; signales constituimus. Et haec igitur eundem usum praestabant, licet non necesse fuerit haec sub terra collocari cf. e. g.

126, 14 [*pulvini sunt ex glarea Tiberis limites constituti*].

127, 8 (139, 20. 152, 21): *Quidam et signa defodiunt pro terminis* (quod etiam hodie fit in Limburgia e. g.).

282, 6. 7: *Sub terminis signa solent .... quae sunt in imo posita, eaquae exquiri iubent qui artes ediderunt.*

284, 4: *signa defossa.*

306, 24: *in aliquibus locis terminos non dolitos posuimus et nihil illis subter addidimus.*

308, 4 sqq.: *trifinium quam maxime quando constituimus cum signis, id est cinus aut carbones et calce ibidem construximus, et super duximus, et super toxam monticellum constituimus.*

308, 11: *monticelli* circum varia genera arborum *cum signis et sigillis quam maxime.*

345, 13: terminus qui *nihil subditum* habet.

349, 20: *signa aliqua pro terminibus defoderunt.*

351, 15: *Constantinopolim maxime cum signis et sigillis constituimus terminos et in fossa ex calce et harena construximus, et carbones subiecimus.*

362, 20: *subter terram decisas invenies, quas decisas in omnibus finales sunt. Decisas* idem indicare necesse est quod 346, 23 *sua caesura* vocatur.

402, 15: *sub omnes terminos signum inveniri oportet.* Hic locus cum 127, 8 sqq. Hygini multa habet communia, certe et hic in *pro loco termini* (402, 16) *pro* est delendum.

Postremo 402, 19 sqq.: *Semper signum in omnibus terminis positum est. aut aliquos cineres aut carbones, aut testa aut ossa aut vitrum aut assas ferri aut aes aut calcem aut gypsum aut vas fictile invenimus. quod etiam quibusdam saxorum fragminibus conculcabant atque ita diligenti cura confirmabant, ut firmius staret. tale ergo signum inter dominos, inter quos fines terminabantur, faciebant.*

Sed non solum sub lapideis terminibus haec signa inveniebantur: 342, 29 sqq.: *Si testacios terminos aut tegulas aut imbrices inveneris, ossis incensis probantur, si in terminatione sunt constituta.*

Signa sub terminis his locis inveni: 127, 8. 139, 20. 140, 12. 15. 141, 3. 142, 19. 152, 21. 282, 6. 284, 4. 308, 5. 11. 349, 20. 351, 15. 359, 25. 27. 402, 15. 19. 403, 2.

Sed etiam in ipsis lapidibus varia signa inveniebantur, quae suam habebant significationem.

Primo inscriptionem lapis habere poterat. Supra (p. 49) iam diximus plerumque in terminis territorialibus tales inscriptiones inveniri, cf. fig. 208 in editione Lachmannii, sed etiam termini inter privatos inscriptione vel quolibet signo insignes esse poterant. Verbo *tituli* saepe indicatur inscriptus lapis: 4, 21. 114, 7. 146, 12. 364, 3 (146, 12: *etiam titulos finitis spatiis positos habent, qui indicent cuius agri quis dominus quod spatium tueatur.* cf. 402, 1 sqq.); sed etiam sensu termini invenitur: 228, 8. 241, 10. 242, 1. 364, 3. 401, 14. 402, 3.

242, 1 legitur: ... *petras quadratas inscriptas: non enim omnis titulis inscriptionibus indutus est.* = 402, 3.

Memoria etiam legitur sensu *tumuli* sive *tituli*:

315, 27 (*memoria in arca*). 316, 9. 320, 3 (*m. i. arca*). 324, 26. 329, 7. 16. 352, 23. 364, 30. *Memoratus terminus* (id est sine dubio: inscriptus) 361, 7.

Licet memoria etiam tumulus esse possit, hic omnes locos, ubi hoc verbum legitur, coniunxi, quia plerumque tamen quod quidem puto inscriptionem aliquam indicavit.

Termini *scripti* enumerantur: 127, 2. 211, 15 (*pro parte scripti*). 293, 3. 360, 29. 366, 8. 402, 4. *Scripta petra* 402, 1. *Inscripti* t.: 139, 14. 206, 6. 207, 6. 208, 1 cet.

Terminus Greca littera scriptus: 249, 13. 360, 29. 405, 10.

Terminus nulla inscriptione indutus *mutus* appellatur: 172, 2.

Litterae merae saepe in terminis insculpebantur: vocabantur *litterae singulares* sive *notae iuris*: sive unaquaque littera aliquid indicabatur, sive certo ordine positae litterae invicem se explicabant, haec omnia disciplinae non periti discere poterant ex *Expositionibus terminorum*, quales habemus inde a pag. 357 usque ad 365. Haec, ut re ipsa liquet, in aliis regionibus alia erant, ita enim is qui aenigmatis habebat solutionem, nullo negotio videre poterat, num lapis esset amotus — inspiciebat litteras, quas ordine quo alia aliam sequeretur terminos ostendere necesse erat. Exempla huius usus utilissimi habemus in pag. 343, 9 sqq. ubi enumerantur Litterae singulares, quae in provincia Tuscia in terminis scriptae sunt, maxime in territorio Volaterrano. Nullus sensus latet in his litteris, quae miro modo se sequuntur. In eadem pagina v. 15 sqq. item leguntur litterae *ex diversis territoriis Italiae*, *maxime iuxta fluvium Nemus.* Eodem modo 353, 10 sqq. habemus litteras singulares *quae in diversis locis inveniuntur, ubi termini in capitibus centuriarum sub terra inveniuntur, hae vero litterae in cursoriis eorum terminorum sunt*, *qui in trifinio aut quadrifinio sub terra*, *sicuti se sequuntur, inveniuntur* (353, 11 sqq.) — sequitur series litterarum. 353, 20 inveniuntur litterae ex partibus Africae vel Mauretaniae. Pagina 357[a]. continet litteras quae totius verbi vice funguntur, e. g. L. linea, D. decumanus, T. terminus etc. — quae litterae etiam explicatione indigent: *est* enim *etiam circa perscribendas vel paucioribus litteris notandas voces studium necessarium*[1]). Postremo in pag. 362[a]. et sequenti litterae alphabeti *capitaneae* (362, 30) inveniuntur quarum quaeque suam habet vim et significationem.

---

[1]) Valerius Probus de Iuris notarum § 1.

In pag. 309, 17 sqq. litterae alphabeti intervalla lapidum inter se indicant — *singillatim vel binae* (309, 23).

Tale quidquam etiam 313, 14 indicare potest: *talia signa invenies POLIH.* Imprimis in casis litterarum saepe *iuris notae* memorantur: 310, 3. 311, 1. 312, 11. 314, 25. 316, 19. Praeterea: 365, 31, 33.

Litterae singulares: 127, 6. 340, 9. 15. 344, 24. 346, 4. 353, 10. 20. 357, 1. 362, 30.

Litterae e. g.: 142, 20. 241, 1. 401, 2.

Etiam *numeri* in his terminis memorantur: 127, 7 *(numeri per ordinem).* 139, 15 *(numeri ordine notati).* 142, 20. 222, 3 *(scripti numerum continentes, ut puta* TERMINVS PRIMVS cet.).

Hae sive notae sive litterae sive numeri inveniuntur *(quam maxime secundum consuetudinem regionum:* 142, 20. fiunt), ab eodem Siculo Flacco cui supra scripta magna ex parte debemus, nuncupantur: *nobilitates quae manu fiunt.* Sed etiam *signa* proprio sensu esse insculpta in lapidibus poterant.

Signati lapides e. g.: 253, 21 inveniuntur.

Aliquot litterae fere in Signa transierunt, ut sunt Γ, X, C.

Nota X vocatur *decussis (decus, decussus, decuria, decusa),* et proprie signum est quadrifinii, ut ipsa litterae forma indicat; 360, 3: *Terminus si decum [X] habuerit, quatrifinium exponet.* sed 321, 23 et 355, 15 est signum trifinii.

Decus legitur (signum quidem finale) 144, 21. 282, 5. 321, 23. 335, 15. 337, 10 (*decisa* = decusa?). 360, 3.

Decussatae variae finitiones esse dicuntur: 140, 10 (*petrae*). 286, 16 (*lapides*). 335, 14 (*lapis*). 341, 31 (*lapis qui agrum intra clusum et extra clusum significat*).

286, 16 lineae quae decussim efficiunt, in capitibus lapidum sunt, et indicant rigores, sicut et in lapide qui inventus est Gracchano factum est (vide C. I. L. I. 552).

Nota Γ: ,,Gamma (du Cange s. v.) est limes utramque agri partem complectens ita ut litterae Γ formam efficiat.

Saepe legitur: 43, 16 = 74, 13. 140, 9. 144, 21. 281, 15. 325, 18. 341, 29 (*gamma de petra sicca constructa*). 357, 12. 14. 20. 24.

Gammatus lapis s. terminus: 243, 5. 319, 7 (*limes gammatus*). 323, 6 (*limes —*). 342, 5 *lapis gammatus qui trigoni recipit rationem*). 348, 12. 363, 23. 406, 9 (*terminus g.*).

Quod legitur 250, 1 *terminus grammatus* utrum etiam *terminus gammatus* legi debeat, an idem sit atque *lineatus* i. e. grammis notatus, non certum est (Bursian in Indice).

Forma Γ cum L est mutata 363, 22 sqq.: *L si in termino inveneris. suae normae facturam designat, limitem gammatum.* Sed 363, 13 sq.: *G si in termino inveneris, sui nominis auctorem limitem tortuosum ostendit.* Sed limes tortuosus nihil est nisi *gammatus*, ut apparet ex: 319, 7 (*limes gammatus, hoc est tortuosus*) et 323, 6.

Ut res ipsa docet imprimis in coxis sive versuris certa signa maximi erant momenti (et nonnulli *ibi binos lapides posuerunt ita ut suos quisque rigores intueretur*: 139, 18), neque mirum est si (de arboribus) 144, 20 sqq. Siculus Flaccus dicit: *in versuris quae notatae sunt, aut decus in eis inveniuntur aut gammae, ut manifestum sit versuras suis signis observari debere.*

Praeterea versura indicari poterat positione ipsius termini, 43, 16 sq. = 74, 13 sq.: *termini autem si transversi positi fuerint, gammam faciunt, sed non statim trifinium ostendunt.* Neque me iudice *terminus in inversum positus* (250, 30 et 406, 5) multum ab his *transversis* differre potuit, si 281, 13 sqq. conferimus: *si* .... (cetera genera terminationum) ... *defecerint solent termini occurrere. qui lapides tam qua longiores sunt quam qua latiores sequendi. hoc est, aut si cursum dirigunt linearem aut si gamma faciunt et transversi opponuntur, ut quam longitudinem fecerint, hanc ut limitem sequantur.*

Coxa: 139, 16. 142, 5. 151. 14.

Versura: 67, 4. 139, 18. 140, 9. 144, 20. 22. 341, 32. (*Terminus ante terminum in versura positi* cf. 139, 18: *bini lapides in versura* cf. 342, 8: *Termini gemelli* et 397, 16: *terminus geminatus.*)

Nimirum terminus *centustatus* qui memoratur 250, 6 et 406, 14 nomen habet a C = centum, sicut decussatus a decem. cf. 363, 5: *C si in termino inveneris, a centuria numquam recedas; Decuria = decussis.*

Monuit me v. cl. van der Vliet fortasse etiam *simmatum* (250, 5. 406, 5) esse legendum *sigmatum*, i. e. littera C inscriptum. Du Cange s. v. *sigma*: „mensa in literae C similitudinem seu lunulae.“ Idem s. v. *simma* „nihil aliud est, dicit, quam sigma, mensa in sigmatis, seu hemicycli speciem confecta.“

Igitur *terminus littera Greca scriptus* et hic esset. Memoretur et hoc loco quod legitur Grimm Deutsche Rechtsaltertümer in 4ae editionis pag. 70: „Eine Urk. von 1155 bei Neug. nr. 866 enthält folgende merkwürdige Stelle: *inde ad Rhenum, ubi in vertice rupis similitudo lunae, iussa Dagoberti regis ipso praesente sculpta cernitur, ad discernendos terminos Burgundiae et curiensis Rhetiae* [. Ein halfmondsstein bei der Grenze: ded. von Wulften Beilage p. 162].

De compluribus horum signorum iam antea egimus, cum de montibus et arboribus sermo esset. Haec iterare non necesse est, vide supra pag. 7 sqq. et 20 sqq.

Sunt et termini qui dicuntur *lineati*, i. e. linea inscripti. De his mentio fit: 206, 6. 250, 2. 24. 28. 406, 3. 10.

Inde a pag. 305 nostrae editionis multa horum signorum memorantur. Apparet agrimensores hanc artem studiosissime excoluisse et perfecisse, ut nemo nisi rerum peritus haec omnia novisse et interpretari posset. Posterioribus temporibus haec omnia evanuisse videntur. Neque eadem ubique valebant, ut audiemus. Sed cum signa in terminis semper augerentur, subdita minus minusque inveniebantur, immo pluribus locis legimus ea postremo voluntaria esse facta.

Sed de his signis videamus quae dicant gromatici.

Latinus qui multa de his habet cum caeteris conferetur.

Latinus 305, 3 sqq.: *Terminus si caput de aquila factum habuerit, montem transcisum transit, et usque in olivastellum mittit. Si tres oleastri fuerint, trifinium faciunt.* cf. 360, 25 sqq.

a. 305, 6 sqq. *Terminus si transpertusus fuerit, cisternam significat, alveum transit et usque in aqua viva mittit, et ipsa aqua viva in arca trifinii est.*

b. 360, 13: *Terminus si transpertusus fuerit, flumen transit aut in aqua viva mittit.*

305, 9 sqq.: *Terminus si subcumbus positus fuerit, limitem ostendit.*

De his iam egimus in pag. 52 ubi vide collato 360, 4 sqq.

a. 305, 13 sqq.: *Terminus si in quadrum dolatus fuerit et in latere punctum habuerit, fontem significat. si vero super se cavum habuerit, puteum finalem significat.*

b. 360, 15 sqq.: *Terminus si punctum habuerit, puteum aut fontem ostendit.*

a. 305, 16 sqq.: *Terminus si a sursum usque deorsum scissuram habuerit, fluvium aut certe rivum significat.*

b. 360, 6 sqq.: *Terminus si incisuram habuerit, rivum aut fossatum significat aut fluvium ostendit.*

c. 360, 17: *Terminus si aliquam cissuram, hoc est taliaturam, habuerit, montem cissum, id est taliatum, ostendit. limes illa finem transit.*

d. *Terminus qui fluvium demonstrat:* 342, 10 } eiusdem igitur
Terminus qui rivum demonstrat: 342, 11 } sunt generis.

a. 305 18 sq.: *Terminus si super se plumbum habuerit, stagnum significat aut cisternam.*

b. 306, 4 sq.: *Arbor si plumbum habuerit idem sicut terminus, aut stagnum aut fluvium maiorem aut fontem designat.*

c. 360, 9 sqq.: (Terminus) *si aliquid fictum habuerit super se, acrum aut plumbum aut stagnum epicteticum, hoc est massatium fabritum, quod est inter censam centuriae.* Ex his nugis correctione haec fere oriri possunt: .... acrum aut plumbum epitectum (Bursian in Indice), hoc est massatium fabritum(?), aut stagnum ostendit aut cisternam.

Terminus qui memoratur 321, 22 habet: *decus et plumbum.*

Terminus plumbatus: 321, 31.

Fortasse etiam 322, 1: *acutum cyprinum* indicat aeneum acumen.

305, 20 sq.: *a. Terminus si subcavus fuerit, lavacrum significat.* De *subcavis* supra iam egimus, vide pag. 45 sqq. et locos quos illic citavi 307, 17 sqq. 345, 15 sqq. 352, 8. — utique lavacrum significat.

b. 360, 8 sqq.: *Terminus si fossulam habuerit, lavacrum aut piscinam significat aut terminum rotundum ostendit.*

305, 22 sqq.: *Terminus si bifurcus fuerit samadarcus dicitur, trifinium facit.* De his etiam supra egimus vide pag. 45 cf. 360, 20. 363, 3.

305, 24 sqq.: *Terminus si rotundus fuerit et brevis, et de una parte in latus punctum habuerit, in fontem quattuorangulatilem descendet.* cf. 360, 15 sqq.

a. 306, 1 sqq.: *Terminus si ecce talem* (|/) *lignum habuerit subtus vel supra, arborem peregrinam significat qui in eo loco ex studio in fine posita est.*

b. 309, 2 sqq.: *Terminus sive petra naturalis si branca lupi habuerit facta, arborem peregrinam significat.*

309, 4 sqq.: *Terminus sive petra naturalis si branca ursï habuerit, lucum significat.*

309, 6 sqq.: *Terminus sive petra naturalis si ungulam pecoris bifurcam habuerit, de sub saxo egredientem aquam significat.*

309, 9 sqq.: *Terminus sive petra naturalis si caput vituli sculptum habuerit, de duobus montibus aquas egredientes significat, per quas lineae confinales descendunt: super se autem sacra paganorum ostendit in trifinio.*

309, 26 sqq.: *Terminus si ungulam equi sculptam habuerit, terminum cursorium significat et usque in fontem mittit et ipse fons trifinium facit.* cf. 305, 24.

342, 19 sqq.: *Terminus si in modum colobri lineam super se flexuosam habuerit, alluvionem per flexum finalem significat.* cf. 306, 8 sqq. et 347, 19 sqq. Deinde: *Si ante ipsam lineam fossulam habuerit, lacum finalem significat, in quo usque linea ipsa decurrit.*

Aliquid huiusmodi indicavit etiam terminus, qui 342, 9 vocatur: *Lapis qui flexuositatem limitis ostendit.*

343, 16 sqq.: *Olivam fructiferam in lineam limitis posuimus, quae puteum ostendit aut certe alveum fluminis.*

344, 11: *Terminus si libidum colorem habuerit, limitem ostendit.*

345, 8 sqq.: *Si imbricem ante arcam inveneris constitutam, vel tubulum in modum cursorii, rivum significat. Si vero tegulae, si tres inventae fuerint, trifinium faciunt.*

360, 20 sqq.: *Terminus si tres petras circa sese habuerit, trifinium demonstrat*, item tres *siliquae silvaticae* (360, 24) et tres *murtae* (360, 27), et tres *cotonei* (360, 27).

360, 25 sq.: *Si olivastellum inveneris unum, terminum demonstrat, aquam vivam et convallia loca significat.*

360, 29 sqq.: *Terminus si scriptus fuerit et punctos habuerit litteris Grecis, sequeris cursum eius asion, hoc est ab oriente per litteras Grecas de mappa, hoc est pentagonum, quod interpretatur cubitos quinque.* Interpretetur haec qui intelligit!

His liceat finem facere horum signorum, de quibus quae traduntur, ut apparet, saepe non cohaerent, nullo vinculo inter se sunt ligata. Ex iis rationem et disciplinam veterum agrimen-

sorum restituere nemo potest, paucis indiciis de eorum arte contenti esse debemus. Nec contendere possumus ea quae nobis dicantur a gromaticis semper et ubique incorrupta esse servata!

DE TERMINIS IN COLONIIS.

Etiam de his paucis agendum est; peculiarem locum occupant, hi enim non territoria vel agros privatos dividunt, sed positi sunt inter centurias et agri colonici rationem divisionis indicant. Olim et in coloniis simplicissimo modo fines regebantur — ut, cum Carthago limitaretur, Orosius (V. 12. 2) narrat *stipites terminorum indices* a lupis esse corrosas. Nondum igitur lapidei, ut postea, hunc usum praestabant. Fortasse casu evenit quod apud Faustum et Valerium qui *per Africam* et *in Carthagine* assignaverunt, eiusque rei rationem reddunt in pag. 307 et 308 tot arbores pro terminis inveniuntur et bis apud eos legimus: *terminos rariores constituimus* (307, 25 et 308, 1) — sed ni fallor, lapides ibi non abundabant. Tamen non constat hos stipites Carthaginienses postea aliis lapideis non locum daturas fuisse. Certe posterioribus temporibus si quo colonia deducebatur, quod, ut notum est, lege lata fiebat, ea lex accuratissime cavebat ut termini ponerentur, praescriptis magnitudine et intervallo, ut limites fierent certa latitudine cet. In hac re praeter Libros Coloniarum uberrimus fons est Hyginus Gromaticus qui de limitibus constituendis conscripsit opusculum quod, ut inter agrimensores, iucundum est lectu et facile intellegi potest.
Haec ut plane intellegantur, laudabo legem quae in Libro Coloniarum memoratur 211, 23—213, 5.

LEX AGRORVM EX COMMENTARIO CLAVDI CAESARIS.

Lex agris limitandis metiundis partis Tusciae prius et Campaniae et Apuliae. Qui conduxerit, decimanum latum ped. XL, kardinem latum p. XX facito, et a decimano et kardine m. quintum quenque facito ped. XII, ceteros limites subruncivos latos p. VIII facito. quos limites faciet, in his limitibus reciproce terminos lapideos ponito ex saxo silice aut molari aut ni deteriore, supra terram sesquipedem: facito crassum pedem, item politum rotundum, in terram demittito ne minus ped. II S.

ceteros terminos, qui in opus erunt, robustos statuito, supra terram pd. II, crassos pedem I bessem, in terram demittito ne minus pd. III[1]*), eosque circum calcato, scriptos ita ut iusserit. quod subsicivum amplius iugera C erit, pro centuria procedito: quod subsicivum non minus iugera quinquaginta, id pro dimidia centuria procedito. Hoc opus omne arbitratu C. Iuli Caesaris et Marci Antoni et Marci Lepidi triumvirorum r. p. c.*

Audiamus nunc Hyginum 171, 16 sqq.: *Multi tantum decimani maximi et kardinis lapides inscripserunt, reliquos sime inscriptione ad parem posuerunt; quos ideo quod nulla significatione appareat, quoto loco numerentur, mutos appellant. divus Augustus in adsignationibus suis numero limitum inscriptos lapides omnibus centuriarum angulis defigi iussit: nam locatione operis huius non solum quod ad publicos limites pertineret iniunxit, verum etiam inter acceptas ne roborei deessent termini cavit. inscripserunt quidam vertices lapidum et limitum tantum numerum significaverunt; alii ipsarum centuriarum sic quemadmodum qui in lateribus inscripserunt. aut in vertice lapides sic inscripserunt: quem admodum in decimano maximo et kardine solet, sic et ulteriores secundum numerorum suorum postulationem inscripserunt: voluerunt autem limites inscriptionibus claudi ita ut cuius centuriae essent lapides intellegerentur.*

Apparet igitur in aliis coloniis aliam agendi rationem mensores habuisse sed ipsa res docet in eadem colonia eodem modo esse actum, sicut etiam Hyginus dicit 194, 17 sqq.:

Inscribendi nobis una sit ratio. hanc itaque ex omni opere certissimam eligamus, et hac potissimum utamur. decimano maximo et kardini maximo omnes lapides in frontibus inscribamus, reliquos in lateribus clusaribus. Omnes enim centuriae singulos angulos habent clusares. incipiamus ergo ponere lapides a decimano maximo et kardine, inscriptione qua debet. DECIMANVS MAXIMVS. KARDO MAXIMVS. DECIMANVS TOTVS. KARDO TOTVS. *applicemus nunc singulas centurias maximo decimano sive kardini. hae omnes quattuor ternos lapides iam positos habent: sequitur ut illis unus tantum clusaris angulus vacet, hoc est singuli; quibus debebit inscribi:* D. D. I. V. K. I.,

---

[1]) Sunt igitur qui 340, 24 vocantur: *Terminus egregius qui et robustus, quinquepedalis.*

et S. D. I. V. K. I. *et* D. D. I. K. K. I. *et* S. D. I. K. K. I. *sic et in ceteris observare debebimus. his angulis lapides defigamus, quibus centuriarum appellationes in lateribus*[1]) *adscribemus ad terram deorsum versus.* S. D. I. V. K. I. *in ea parte lapidis inscribemus quae erit* s. d. I. *aeque ultra* k. *primum. quod quoniam in altitudinem exponi in hac planitia non potest, inscripturam lapidi adplicavimus, quam in re ipsa lapis habere debebit. sic et* D. D. I. V. K. I. *sic et* S. D. I. K. K. I. *sic et* D. D. I. K. K. I. *quoniam ab uno umbilico in quattuor partes omnis centuriarum ordo conponitur, ab unius primae centuriae incremento omnes inscriptiones singulis angulis cluduntur: quidquid enim ultra primum kardinem numeratur, perseverat usque ad extremum finem ultra primum vocari. sic et k* (citra) *similiter d. aut s. et cum d. m. sive cardini omnes lapides positi fuerint, per successionem singulis centuriis quartus lapis deerit, cui posito centuriae appellationem inscribere debemus. his deinde cum quartum lapidem posuerimus, sequenti loco centuriae quartus angulus tantum vacabit, quo numerus ipsius inscribatur. ad summam omnes clusares angulos centuriarum lineis diagonalibus comprehendemus. sic et in toto opere exteriores anguli centurias cludunt ab inscriptione decimani maximi et kardinis maximi*[2]). Deinde 196, 16 sqq.: *Cum centurias omnes inscriptis lapidibus terminaverimus, illa quae rei publicae adsignabunt, quamvis limitibus haereant, privata terminatione circuibimus et in forma, ita ut erit, ostendemus* SILVAS *sive* PASCVA PVBLICA *sive utrumque .... harum silvarum extremitatem per omnes angulos terminavimus. Eadem ratione terminabimus fundos exceptos sive concessos et in forma sicut loca publica inscriptionibus demonstravimus.*

Pag. 198, 12 sqq.: *Siqua regio in extremitate limites non acceperit, eum locum vacantem signavimus hac inscriptione,* LOCVS EXTRA CLVSVS. *extremitatem deinde terminis lapideis obligavimus, interposito ampliore spatio, et aris inscribtis con-*

---

1) cf. Hyginus 173, 9: *latera autem lapidum recte inscribuntur, quoniam ampliores numeros capiunt, nam verticibus inscribi non facile possunt,* sed tamen 13 sqq. habet: *licet et quomodo cumque inscriptum sit, perito mensori non latebit, quoniam certus est lapis quo centuria cluditur.*

2) Similia leguntur apud Hyginum, p. 111, 16—112, 23.

ditoris nomine et coloniae finibus. extra clusa regio ideo quod ultra limites finitima linea cluditur: linea autem finitima si limitibus conpraehensa non fuerit, optimum erit extremitatem ad ferramentum rectis angulis obligare et sic terminos ponere. si fuerit mons asper et confragosus per singulas petras finitimas notas imponemus et ubi potuerit inscriptiones: sic et in forma signavimus.

Pag. 199, 1 sqq.: *nam in planis quamvis omnium centuriarum subsiciva lapidibus inscriptis*[1]) *comprehendantur, certis tamen locis aras lapideas ponere debebimus, quarum inscriptio ex uno latere perticae applicato finem coloniae demonstret, ex altero, qua foras erit, adfinis. ubi finis angulum facient, ternum angulorum aras ponemus. sic et in locis montuosis. et has utraeque civitates constituant: adfines enim eisdem locis nomine imperatoris et finium earum inscriptione aras consecrare debebunt.*

Eodem modo etiam fiebat in agro per strigas et scamna assignato. vide Hyginum pag. 206, 8 sqq.

Marcus Junius Nipsus haec habet pag. 290, 17 sqq.:

Si in agro adsignato veneris, ut scias in qua parte agri sis, an in ultrato et dextrato, an in citrato et dextrato, an in sinistrato et ultrato, an in sinistrato et citrato, sic deprehendes. Cum in agro veneris, quaeres lapides plures centuriales. quorum scripturam cum inspicere coeperis, nota tibi quomodo scriptura currat: sic et limites antea instituti sunt. Si enim decumani numeri ab oriente incipiunt et in occidente crescunt, decumani ita instituti sunt, ut oriente post te relicto in occidentem spectes. si vero ita numeri notati in lapidibus centuriarum fuerint, scias decumanos ita institutos esse ut in orientem et occidentem spectent: Cardines vero meridianum et septentrionem scies spectare. cum hoc diligenter tibi liquerit, in re praesenti plurium lapidum centurialium inspicies scripturas. et si numerus cardinum crescet in occidente, erit pars ultrata: decumanorum vero numerus si crescet in partem septentrionis, erit pars dextrata. Sic scis te ex scriptura lapidum esse in parte ultrata et dextrata. similiter si decumanos crescere deprehenderis in meridianum et cardines in partem occidentis, erit pars sinistrata et ultrata.

---

1) vide 342, 4 *Lapis qui subsecivum demonstrat.* cf. 352, 16. 17 et 345, 22.

item ut dextratum et citratum invenias, similiter lapidum scriptura ostendit. si enim cardinum numeri in orientem crescent, erit pars citrata: decumanorum numeri in septentrionem si crescent, erit pars dextrata: sic scies te in dextrato et citrato esse. similiter si kardinum numerus in oriente crescet erit pars citrata: si decumanorum numerus in meridianum crescet, erit pars sinistrata. sed ut saepe solet in re presenti depraehendi decimanum maximum ita institutum ut ad meridianum et septentrionem spectet, kardinem vero maximum orientem et occidentem spectare, similiter, sicut supra diximus scriptura lapidum hoc ipsum depraehendes. ita si a principio institutum fuerit, erit pars sinistrata decimani maximi in occidente, dextrata in oriente. in hac quoque parte si volueris scire in qua parte agri sis, cum inveneris ex scriptura lapidum kardinum numeros in septentrione crescere, erit pars ultrata: decimanorum numeros in occidente crescere, erit pars sinistrata. sic scies te in sinistrato et in ultrato esse. similiter ut volueris scire in citrato et sinistrato. si depraehendis decimanorum numeros in oriente, kardinum numeros in septentrione crescere, erit pars dextrata et ultrata. similiter si decimanorum numeri in oriente crescent et kardinum numeri in meridiano crescent, erit pars dextrata et citrata.

Vide etiam Nipsum 293, 18—295, 5.

Idem Nipsus 292, 18 sqq. haec scribit:

Quibusdam regionibus in agris adsignatis propter sterelitatem lapidum inter centurias quinas lapides positi sunt[1]). *hoc in re presenti deprehendi potest ex lapidum inspectione et inscriptura. aliis vero regionibus in capitibus centuriarum non sunt lapides scripti, et in effigie Termini positi sunt.*

344, 16 autem haec: *Terminos emicicliores vocavimus hos quos in capitibus centuriarum sub terra posuimus*, cf 346, 25 sqq. et 353, 11 sqq.

Termini qui in assignationibus usui erant, saepe nomina acceperunt ab Imperatoribus vel iis quorum iussu coloniae erant deductae, sic habemus: *Graccanos*, *divi Iuli*, *Augusteos* sive

---

1) cf. 112, 11 et 12. ubi Hyginus narrat in quintariis lapides poni oportere, in reliquis roboreos sufficere.

Augustales, Tiberianos, Gai Caesaris, Claudianos, Neronianos, Vespasianos, Traianos.

242, 7. sqq.: *Ratio militiae adsignationis prima triumvirales lapides Graccani, rotundi columniaci, in capite, diametrum pedem unum et pedem unum et semis, altus ped* IIII *et* IIII S. [1]).

Item divi Iuli idem sunt.

Item Augustei idem sunt, hac ratione quod Augustus eorum mensuras recensiit, et ubi fuerunt lapides, alios constituit, et omnem terram suis temporibus fecit permensurari ac veteranis adsignari. qui lapides, item Gai Caesaris, idem, rotundi ex saxo silice vel molari.

243, 3 sqq.: *Sunt et alii Neroniani Vespasiani et Traiani, lamnici et quadrati, in diversis numeris constituti* [2]).

Termini Augustei enumerantur: 227, 16. 240, 14. 20. (*t. A. id est rotundi in effigiem columnae*). 242, 12. 250, 11. 252, 6. 13. 254, 14. 255, 4. 22. 256, 9. 260, 9. 341, 1. 6. 348, 2. 401, 1. 405, 16. 406, 19. (*t. A. in summo acutus*).

Terminus Augustalis: 397, 15.

Liceat hic etiam memorare *fossatos Augusteos*: 347, 7.

Termini Tiberiani memorantur: 218, 10 et 254, 7 ubi fere eadem leguntur.

218, 9 sqq.: *Campi Tiberiani in iugeribus vicenis quinis sunt adsignati a Tiberio Caesare, et termini Tiberiani nuncupantur. qui distant a se ped. DC per MCC, ped. DCCC* [3]), *ped. CCC* [4]), *alibi ped. DC per DC, alibi ped. D per DCCXX. qui termini recipiunt mensuram pedum pedis semis per pedem, bessis, quadrantis, pedis semis per semissem, quincuncis per bessem.* (Recepi in textum correctiones Lachmanni) Apparet igitur terminos Tiberianos non fuisse rotundos, sed quattuor habuisse angulos rectos, latera vers non fuisse aequalia.

Gai Caesaris termini inveniuntur 242, 15 et 348, 15 (vide supra).

Terminus Claudianus invenitur: 227, 5. 252, 15. 308, 25. Ex his tribus locis haec colligere possumus: terminos Claudianos factos

---

1) Omnino cum his mensuris conveniunt quae in C. I. L. I. p. 156 de numeris. 552—556 leguntur, vide annotationem Mommseni ap pag. 156.

2) eadem leguntur 348, 1—15.

3) sc. per DCCCC pedes.

4) sc. per MMCCCC pedes.

esse *in modum arcellarum*, *cavatos et si tres in unum invenirentur trifinium facere.* 308, 26 annotatur: *brevis est.*

Termini *Neroniani*, *Vespasiani* et *Traiani* nonnisi 243, 3 et 348, 10 inveniuntur, ubi eadem de iis dicuntur, quae supra ex parte citavi. Dicuntur esse *lamnici* et *quadrati* (348, 11 *lamminae et quadrati*) sed quoquo modo scribitur apparet vera esse quae Goesius in Indice dixit: ,,*Lamina*, terminus quattuor rectos angulos habens, sed habens duo latera aliis ampliora et hinc distinguuntur laminae a quadratis.'' Utrum *gammati* (243, 5 et 348, 11: *in quibus alii gammati vel prout natura locorum permisit positi sunt*) indicet eos gamma esse inscriptos, an in gammam esse constitutos dici non potest. Goesius in Notis ad pag. 255 ,,*alii gammati*: ipsi lapides gammam non referebant, verum sive rotundi (sic!) sive quadrati fuerint, ita positi fuere ut eorum positio et collocatio finem gammatum vel efficeret vel indicaret''. Eorum intervalla dicuntur esse inde a CCXL ped. usque ad MCC. Mihi videtur 243, 6 *et alii CCXX* esse delendum, quia seriem conturbat, et praeterea 243, 9 est legendum *et in ped. DCCCCLX* pro DCCCCXL. Ubique enim dimidia pars actus, actus et duo actus intersunt inter binos lapides.

Praeterea legimus in agro Albensi terminos fuisse Tiburtinos qui *Cilicii* nuncupantur (253, 6). 253, 10 sqq. hoc explicat: *Terminatio autem eius facta est VI. id. octb. per Cilicium Saturninum centurionem cohortis VII et vicies*, *mensoribus intervenientibus*, *et termini a Cilicio Cilïcii nuncupantur. haec determinatio facta est Orfito seniore et Quinto Scitio et Prisco consulibus.* Bursian in Indice pro *Cilicio* legit *Cecilium* de qua re conferatur Mommsenus in tom II. p. 171 ann. 28 editionis Lachmanni et Rudorffi. De terminis rotundis qui Augustei dicuntur et item Gai Caesaris omisi citare 242, 16—243, 3, haec sunt: *Sunt supra terram sesquipedem*, *in terra pedes duo semis*, *est altus ped. IIII. distant a se ped. $\overline{II}$CCCC*[1]). *Sunt et alii termini supra terram ped. II*, *grassum pedem unum bessem*, *in terra ped. III*, *et altus ped. III. a se distant ped. MCC.* Nisi quod altus

---

1) Eaedem mensurae leguntur apud Hyginum 194, 13 sqq. qui eas refert: *secundum legem et constitutionem divi Augusti*, sunt ponendi, *limitibus omnibus in mediis tetrantibus* (194, 13).

ped. III est mutandum in V, hae ultimae mensurae conveniunt cum mensuris eorum lapidum quos lex supra citata (p. 63) praescribit. 348, 6 habet *sesquipede in terra*, *super pedes duo semis* — mutato ordine, et postea 348, 9 *ped. IIII*, quod etiam in V est mutandum. Sed miror qui fieri potuerit ut, cum intervallum inter lapides bis maius factum sit, lapis ipse minor sit, cum tamen aliunde appareat artissimam coniunctionem esse inter distantias lapidum et mensuras eorum, de qua re imprimis Libri coloniarum diligenti perscrutatione dignissimi sunt[1]).

Exempli gratia de colonia Florentina dicitur 213, 8 sqq.: *Termini rotundi pedales*, *et distant a se in pd.* $\overline{II}$*CCCC* (eiusdem igitur generis lapides iam vidimus 242, 16 sq.), *sunt et medii termini qui dicuntur epipedonici*, *pedem longum crassum*, *et distant a se in pd. MCC.* Et in sequenti pagina (214, 4 sqq.) de colonia Fida Tuder, quae condita est *ea lege qua et ager Florentinus* (214, 3) narratur: *Termini lapidei alii saxei alii molares*, *crassum semipedem longum*, *dodrantem: distant a se pedes sescentenos et DCCXX.* Distantia igitur dimidio minor efficit, ut terminus etiam ipse dimidio minor fiat. *dodrantem*, ut observat Lachmannus in annotatione, falsum est pro: *septuncem* vel *bessem*, septunx enim indicaret DCC pedes, bes DCCC — inter hos numeros DCCXX interest, cum dodrans DCCCC pedes significaret.

Deinde pergit 214, 6: *quodsi fuerit crassus dadran. aut deun.*, *est alius ab alio ped. DCCCCLX MLXXX* — ex quo apparet *dodrantem* minus iuste dictum esse pro *octo decimis partibus* et *deuncem* pro *novem decimis.*

Et praeterea etiam *longitudo* termini cum intervallo cohaerere potest: 215, 6 sqq. de colonia Arretio: *centuriae quadratae sunt*, *si in pedibus* $\overline{II}$ *CCCC*, *quae pro parte terminos lapideos recipit semissales*, *distant a se in ped. CCC. si* $\overline{II}$*: trientales*, *distant a se ped. CCXL. si* $\overline{IIII}$ *CC*, *dodran.*, *ped. CCCCLXXX. si* $\overline{V}$*CCL*, *dodrant.*, *pd. DC. si* $\overline{VII}$, *trient.*, *distant a se p. DCCCXL. si ped.* $\overline{XI}$, *trient. in ped. MCCCXX.*

Quorum verborum prima liquent: si latus est pedum $\overline{II}$ CCCC, et termini semissales inter se distant ped. CCC, in singulis lateribus octoni termini ponendi sunt. Idem fit in caeteris dimen-

---

1) Intervalla limitum inveniri possunt: p. 397, 9 sqq.

sionibus, sed hic aliqua pars superest, ut callide vidit Lachmannus, qui annotat: „si latus habet duo milia pedum, termini trientales sunt. CCXL si ducas octies, erunt MDCCCCXX: ut fiant $\overline{\text{II}}$ addendi sunt LXXX, qui est triens CCXL, eadem ratio est ceterorum dodrantalium et trientalium.''

Item in colonia Ferentinensi p. 216, 6 sqq.: *numeris uncialibus termini sunt constituti. id est alii silicei, crassi p. I sextant., trient. longi, qui distant a se in pd. MCCCCXL. alii albi trient. longi, distant a se pd. CCCLXXX. alii longi dodran. distant a se pd. DC.*

Lachmann annotat: „Latera harum trium centuriarum sunt pedum $\overline{\text{XII}}$ $\overline{\text{IIII}}$ $\overline{\text{V}}$CCL, ad octies MCCCCXL addendus triens i. e. CCCCLXXX: fiunt $\overline{\text{XII}}$. ad octies CCCCLXXX i. e. ad $\overline{\text{III}}$ DCCCXL item addendus triens i. e. CLX. ad octies DC addendus dodrans i. e. CCCCL: fiunt $\overline{\text{V}}$CCL.''

Postremo in pag. 218, 9 sqq. de campis Tiberianis agitur: *Campi Tiberiani in iugeribus vicenis quinis sunt adsignati a Tiberio Caesare et termini Tiberiani nuncupantur. qui distant a se ped. DC per MCC, ped. DCCC* (sc. per DCCCC), *ped. CCC* (sc. per $\overline{\text{II}}$CCCC). *alibi ped. DC per DC, alibi ped. D per DCCXX* (superficies igitur in omnibus aeque magna est) *qui termini recipiunt mensuram:* (per coniecturam Lachmanni quae sequuntur) *pedis semis per pedem, bessis* (sc. per dodrantem), *quadrantis* (sc. per binos pedes); *pedis semis per semissem, quincuncis per bessem.* — Ita enim crassitudines lapidum conveniunt cum camporum indicatis numeris.

In colonia Tarquiniis p. 219, 3 sqq.: *terminorum siliceorum mensura est deun. per longum, et distant a se in pedibus DCCXX. alii per longum trien., III* (i. e. quadrantem), *distant a se in ped. DCCCXXX, DCCCLX.* Lachmannus: „DCCXX: haec summa octies ducta, cum deunce, i. e. DCLX, efficit latus p. $\overline{\text{VI}}$CCCCXX,'' et mox: „veri numeri esse videntur DCCCXL, DCCCLXX nam pedes DCCCXL octies ducti, addito triente, i. e. CCLXXX efficiunt latus p. $\overline{\text{VII}}$. pedes DCCCLXX, qui sunt actus VII cum quadrante actus, octies ducti efficiunt latus pedum $\overline{\text{VI}}$DCCCLX i. e. LVIII actuum.'' Quae verba habent vitium typographicum: $\overline{\text{VI}}$DCCCCDLX sc. est scribendum. Sed hic vir doctissimus erravisse mihi videtur: 1°) non probabile est, si cetera huiusmodi exempla conferimus, numeros fuisse

tam parvo inter se intervallo, ut 840 et 870. 2^{0}) ea, quae de terminis semissalibus traduntur, licet nihil extet, ex quo hoc verum esse appareat, transfert ad eos, qui quadrantem sunt longi. Multo, ut puto, melius est scribere DCCCCLX (igitur unum addere C), ut latus centuriae fiat $\overline{\text{V}}$IIDCCCCXX pedum.

Ne ubique talia suspicemur nos monet 219, 7: *alios* (terminos) *sine mensure suae numero esse podismatos.*

Dignissima quae memorentur sunt ea quae de agro Spellatino dicuntur p. 224, 7 sqq.: *termini lapidei . . . . distant a se in ped. MCC: dextant. distant a se pd. MDCCCCXX, I septun.* (i. e. crassi unum septuncem): *p. I dodran.* (i. e. crassi unum dodrantem), *semissales, pd.* $\overline{\text{II}}$*C: dodrant., pd. II, distant a se ped.* $\overline{\text{II}}$*CCCC.*

Haec ut melius perspiciantur, plane perscribam:

crassitudo	longitudo	intervalla.
? ⟨pedales⟩	?	1200 pedes.
$1\frac{7}{12}$ (pro $1\frac{3}{5}$)	$\frac{5}{6}$	1920 pedes.
$1\frac{3}{4}$	$\frac{1}{2}$	2100 pedes.
2	$\frac{3}{4}$	2400 pedes.

Igitur facile videmus crassitudinem eorum terminorum, qui MCC pedes inter se distant esse unius pedis (pedales), longi potuerunt esse semissem, ut Lachmannus annotat: „si semisssem longi, latus est p. $\overline{\text{X}}$CC," sed nihil in hac re pro certo affirmandum est. Certe post: *termini lapidei . . . .*: ⟨*pedales*⟩ inseri potest. Denuo videmus: *pedem unum septuncem crassi* minus accurate dictum esse pro: unum pedem et tres quintas.

Harum centuriarum latera qui volet computet!

De agro Amerino in pag. 224, 15 et 225, 1 sqq. haec dicuntur: *termini siti sunt dodran.* (sc. crassi), *semiss.* (sc. longi), *distant a se ped. DCCCC: alii ped., dextan.* (sc. longi), *ped. MCC: alii p. I quadran.* (sc. crassi), *dextan.* (sc. longi), *ped. MCCCCXL.*

crassitudo	longitudo	intervalla.
$\frac{3}{4}$	$\frac{1}{2}$ (semissales)	900 pedes.
1	$\frac{5}{6}$	1200 pedes.
$1\frac{1}{4}$ (pro. $1\frac{1}{5}$)	$\frac{5}{6}$	1440 pedes.

Sed iam apparet crassitudinem pedis unius et quadrantis non prorsus verum esse, esse pedem unum et quintam partem. Igitur, sicut in agro Amerino, ita et in Spellatino mensurae sunt ita legendae: termini lapidei ⟨pedales⟩ . . . . distant a se in ped.

MCC; ped. unum septuncem crassi, dextantem longi distant a se ped. MDCCCCXX; pedum unum dodrantem crassi, semissem longi pd. $\overline{\text{II}}$C; bipedales, dodrantem longi distant a se ped. $\overline{\text{II}}$CCCC.

Crassitudo igitur terminorum cohaeret cum eorum intervallis, ut bis maior crassitudo bis maius quam normale quoddam intervallum indicet; per *longitudinem* latus centuriarum a rerum perito facile inveniri poterat. Ubique latus centuriarum integrum numerum actuum continebat, itemque intervalla terminorum et fractio intervalli quae reliqua erat, si octies intervallum terminorum de toto centuriae latere deducebatur, longitudine significabatur termini: ut semissales sive semissem longi essent, quoties intervallum terminorum continebat integrum numerum actuum et semissem, sed tum latus centuriae erat octies terminorum intervallum sine ulla additione.

Clare apparet in agrimensorum computationibus rationem decimalem (tientallig stelsel) iam in usum quotidianum penetravisse, cum nomina antiquiora rationis duodecimalis (desumpta ex divisione assis) remanerent, ita ut vitia inveniantur, quae hic enumerabo:

214,5 dodrantem (quod melius diceretur septuncem) pro $\frac{6}{10}$, $\frac{3}{5}$.
214,7 dodran. . . . . pro $\frac{8}{10}$, $\frac{4}{5}$.
214,7 deun. . . . . pro $\frac{9}{10}$.
216,7 crassi pedem unum sextantem . . . . pro $1\frac{1}{5}$.
224,8 pedem unum septuncem . . . . pro $1\frac{3}{5}$.
225,2 alii pedem unum quadrantem . . . . pro $1\frac{1}{5}$.

Sed praeterea ex his videre possumus quanto studio agrimensores artem suam excoluissent, et quot indicia hi lapides, saepe nulla inscriptione induti, per se iam rerum perito darent. Id ex nullis agrimensorum scriptis clarius quam ex his demonstrari potest, et toto animo admiramur hos viros qui summa prudentia rationem ita composuerunt et expleverunt, ut nonnisi difficulter nec sine labore nobis contingere possit eorum arcana investigare.

RESPECTUS.

Roganti quid sit terminus, Agennius Urbicus (12, 21) respondet: *Quae in finibus sunt, pro terminibus habebitis*, et Euclides 377, 17: *Terminus est quod cuiusque est finis.*

Cum verbis quae leguntur 364, 25: *quamquam igitur de terminis expositione aliquotiens extra limites termini positi inveniuntur, antiquae tamen mensurae convenit ut terminos foris limites ponerentur*, quadrant verba inscriptionis in primo volumine C. I. L. vol. I. n. 1115: LAPIDES · PROFANEI · INTVS·SACRVM.

Non a re abest hic verba Balbi perscribere 98, 3 sqq.: *Extremitas est quo usque unicuique possidendi ius concessum est, aut quousque quisque suum servat. Extremitatium genera sunt duo, unum quod per rigorem observatur, alterum quod per flexus. Rigor est quidquid inter duo signa veluti in modum lineae rectum perspicitur; per flexus, quidquid secundum locorum naturam curvatur, ut in agris arcifiniis solet.* et praeterea in versu 12: *quidquid in agro mensorii operis causa ad finem rectum fuerit, rigor appellatur: quidquid ad horum imitationem in forma scribitur, linea appellatur.* (eadem leguntur 415, 1 sqq.) cf. 408, 11—15, 408, 17 sqq. 411, 6—9. 414, 24—415, 6. Omnes hi loci fere eadem dicunt iisdem verbis.

Variis, ut vidimus, modis fines regi possunt, nec tamen necesse est unum tantum horum terminorum (ut generali verbo utar) genus in eodem fundo vel territorio inveniri: hoc disertis verbis dicitur e. g. ab Agennio Urbico 12, 29 sqq.: *haec autem omnia genera finitionum putato in uno agro posse sine dubio inveniri.* Siculus Flaccus 151, 21 sqq.: *sed et unius agri extremitas potest multis finiri generibus, cum ex uno latere finiatur terminis, ex alio arboribus, ex alio supercilio, ex alio rivo, quaeque alia observabilia in finibus sunt. ita non uno genere, quasi lege data, fines observabuntur. quae etiam in omnibus agrorum condicionibus evenire possunt.* Sic etiam 131, 5 sqq. (Hygini): *Praeterea consuetudines finitionum inspectae cum fuerint, novitas habet suspicionem, ut puta si terminus finem faciet per alium tractum, quare subito ad aliud genus finitionis transeatur, aut ad fossam, aut ad veprem, aut viam, aut genus quod appellamus supercilium aut arbores quae antemisse sunt, suspicio est.*

Item Siculus Flaccus 151, 5 sqq.: *In aliquibus regionibus ita fines inter possessores ordinati sunt, ut rigores durent per longum tractum: incidentesque in viis aut rivis aut in substructionibus aut rigoribus aliisque finitionum generibus deficient supra*

dicti rigores: inde in quo inciderint genere fines observabuntur, donec et illud ipsud genus aliquo incidat quo finiantur agri. ergo et rigores et viae et rivi et substructiones alii aliis incidentibus inter se invicem succedunt. nam et in ipsis generibus sicubi coxae sunt, terminos invenimus frequenter. sed et petras naturales, quae in finibus incidunt, saepe notatas invenimus.

Omnibus angulis coxisque, ut dicit Siculus Flaccus 142, 4 sqq. *termini positi esse debent*; et 139, 17 sqq.: *in quibusdam vero regionibus in versuris omnibus binos posuerunt, ita ut suos quisque rigores intueretur.* Praeterea perspicuum est terminorum positionem ipsius agri vel territorii natura indicari, ita ut *alii tantum modo in coxis, alii in longioribus spatiis, complures alii etiam aequalibus intervallis* (sic Flaccus 139, 15—17) terminos disponerent. (cf. 346, 5 : *termini ad modum agri sine rigore ordinati*). Privatorum voluntati liberum erat utrum *tantum modo per singulorum possessorum spatia, id est a capite usque ad caput, positi invenirentur termini, hoc est a fine incipiente usque ad finem deficientem, unde alterius possessionis finis inciperet observari, an mediis spatiis plures interpositos haberent* (Sic. Flacc. 142, 7—12), utrum *inscriptos* an *numeris ordine notatos*[1]), *politos* an *qualescumque peregrinos lapides* sumerent: *ut manifestum esset ex industria terminos finales esse positos* (139, 12—15).

Saepe et *signa defodiebantur pro terminis* (127, 8).

Quitquit ergo fuerit loco termini (Hyginus 127, 8 sqq. = 402, 16 sqq.) *et observetur, custodiri debet ut ab uno ad unum derigatur; et si notae sunt, a nota ad notam: saepe enim plures et in uno rigore sunt*[2]).

Amoena loca plerumque in trifiniis et quadrifiniis Termini ipsius tutelae tradebantur (22, 25. 57, 8) ibique sub arboribus intactis sacrificia agricolae faciebant (241, 5).

Neque, agrimensorum arte et industria, impii qui terminum movere ausi erant, diu latebant, Frontinus 40, 20 sqq. = 71, 19 sqq.: *Si vero in alio loco terminus translatus est usurpandi finis causa, numquam non utique locum desicavit; non enim cito quis*

---

1) cf. etiam Hyginum 127, 7.

2) 362, 2 *Lapides nativas cum aliquo signo finem pro termino constituimus et multa consecratione signavimus.*

propter exiguam partem terminum movet. erit in providentia mensoris secundum angulorum finitimorum positionem arbitrari, in quantum sit terminus translatus et qua ratione sit in locum suum restituendus. facillimum est inperitiam artificis aliusve retundere non putantis rationem inesse ordinationi: nam et frequenter evenit ut inperitia mensorum audaciam possessoribus praebeat. numquam non concurrentium inter se finium anguli, non tantum recti, verum etiam hebetes aut acuti, habent aliquam rationem[1]; *in quam, si non dissimulemus, facile quod inperiti turbaverunt artificio restituemus.* Rationem inesse in terminationibus Romanorum iam luculenter vidimus cum de terminis centuriarum ageremus, neque ulla foret causa, cur non crederemus, etiam extra colonias certas normas et leges semper ab agrimensoribus[2]) observari, etiamsi non de hac re etiam testimonia haberemus; de intervallis e. g. Boethius 402, 6 sqq. dicit: *termini vero non unam mensuram inter se continent, iubente Augusto Caesare Balbo mensori, qui omnium provinciarum mensuras distinxit ac declaravit.* Supra iam egimus de *litteris singularibus*; liceat et de his perscribere quae docemur.

Gaius et Theodosius 345, 27—346, 5: *si termini uno colore in quadrifinio et in cursorio positi sunt* (igitur non statim forma, magnitudine cet. apparet qui qualesque sint), *reverti ad auctorum sublimitatem iubemus et quod iusserint observetur. nec enim verecundum sit frequenter ad auctorum doctrinam reverti. quotiens enim legeris singularum litterarum interpretationem, sine dubio artificiosius terminabis.* Horum igitur praecepta quasi canon erant, quod etiam apparet ex verbis Arcadii 351, 19 sqq.: *et in ipsis terminibus nomina fundorum scripsimus, ut sic quaeratur eorum pedatura, sicut in libro XII auctores constituerunt, his generibus litterarum sicut in omnem mundum.* Hunc librum, nobis ignotum, valde desideramus, quod ea, quae nobis sunt tradita in fragmentis quae possidemus, saepe incohaerentia sunt et lacunosa, neque

---

1) Id indicabatur iis terminis qui leguntur 406, 1 et 250, 26, sc. *terminus cui angulus subiacet* (i. e. in propinquo est), 250, 26 prave legitur: *qui angulum subiacet.*

2) cf. Plaut. Poenul. Prol. 48, 49:

Eius nunc regiones, limites, confinia
Determinabo: ei rei ego finitor factus sum.

patiuntur horum praeceptorum ingeniosum aedificium vel parvula ex parte refici et restitui. Atque utinam omnia quae habemus, nobis essent perspicua et sine corruptelis ad nos pervenissent!

DE TERMINORUM CONSECRATIONE ET DE TERMINALIBUS.

Si quid poetis credimus aurea quidem aetate: *non domus ulla fores habuit, non fixus in agris, qui regeret certis finibus arva lapis* adfuit (Tibullus I. 3. 43) moribusque paulatim depravatis hoc mutatum est *communemque prius ceu lumina solis et auras cautus humum longo signavit limite mensor.* (Ovid. Met. I. 135.)

Mox tamen intellectum esse necesse est *furem non timere caulibus et pomis et aperto vivere horto* (ut parvis mutationibus citem Iuvenalem Sat. VI, 17 et 18) vicinos acrius tentare, quam ut his illecebris semper resistere possent. Quodsi apparebat illius saeculi hominum tale periculum faciendum non esse, quid magis utilitati possidentium inserviebat quam tutelam finium suorum deo cuidam committere, qui ultrici manu nocentes persequeretur?

Nisi certi fines non solum finitimorum possessionum, verum etiam populorum observabantur, quotidie fere rixas pugnasque oriri necesse erat. Tum demum, cum de finibus inter eos quorum intererat, conventum esset, vis et rapinae cessabant, in quarum locum vita tranquilla et iucunda, a periculis tuta et secura subire poterat (grensvrede). Ut verbis utar ipsorum imprimis gromaticorum[1]) lis inimicorum in iurgium vel benevolorum concertationem[2]) mutata esse debet, ut inde bona vicinitas, vicinorum concordia oriatur. (p. 281. 10.)

Talis, ut ita dicam, *pax finalis* religionis habet fundamentum.

---

[1]) Rudorff. Die Schriften der Römischen Feldmesser II. p. 236 sqq.

[2]) Cicero de Republica IV. 8 apud Nonium S. v. Iurgium ed. Quicherat p. 501. 25 Merceri p. 430:

Admiror (agit de lege XII tabularum) *nec rerum solum, sed verborum etiam elegantiam.* SI IVRGANT, *inquit. Benevolorum concertatio, non lis inimicorum, iurgium dicitur.* Et in sequentibus: *iurgare igitur lex putat inter se vicinos, non litigare.*

Ipsius Nonii praecedunt verba: *Iurgium levior res est, siquidem inter benivolos aut propinquos dissensio vel concertatio iurgium dicitur, inter inimicos dissensio lis appellatur.*

Res in Latio ordinavisse Numa rex dicitur, qui populum religionibus et divino iure devinxit[1]), sed et in Graecia et ubique antiquissimis temporibus res ita se habuisse, tali modo progressas esse perspicuum est.

Communi consensu constitutus finis, personae instar cogitatus, pro numine colebatur; ita apud Romanos complures dei finibus praesidebant, de quibus singillatim agemus, nunc tantum nomina sufficient: *Silvanus*, *Juppiter* etiam *Dius Fidius* vel *Semo Sancus* appellatus, et postremo *ipse Terminus.* Apud Graecos *Ζεὺς*, qui vocatur *ὅριος*, et *Ἑρμῆς*.

Nudum pactum[2]) finis regendi positione demum termini eiusque consecratione quasi sponsione obligabat vicinos.

Ipsam consecrationem describit Siculus Flaccus de condicionibus agrorum. (141. 4—22.)

Hunc audiamus:

Cum enim terminos disponerent, ipsos quidem lapides in solidam terram rectos conlocabant proxime ea loca in quibus fossis factis defixuri eos erant, et unguento velaminibusque et coronis eos coronabant. In fossis autem [in] quibus eos posituri erant, sacrificio facto hostiaque inmolata adque incensa facibus ardentibus, in fossa cooperti(?) sanguinem instillabant, eoque tura et fruges iactabant. favos quoque et vinum, aliaque quibus consuetudo est Termini sacrum fieri, in fossis adiciebant. consumptisque igne omnibus dapibus super calentes reliquias lapides conlocabant adque ita diligenti cura confirmabant[3]). *adiectis etiam quibusdam saxorum fragminibus circumcalcabant, quo firmius starent. tale ergo sacrificium domini, inter quos fines dirimebantur, faciebant. nam et si in trifinium, id est in eum locum quem tres possessores adstringebant, termini ponerentur, omnes tres sacrum faciebant: quotque alii in confinio domini erant omnes ex convenientia terminos ponebant et sacrum faciebant, terminos autem convenientia possessorum confirmabat.*

Sacrificio facto simplex convivium ab amterminis celebrabatur. Olim hostiam immolare Termino fas non erat, quod

---

1) Tacitus Ann. III. 26.
2) cf. L. 21 Dig. 42. 8.
3) vide e. g. 342, 29. 30 collato Dolabella 303, 11—21.

lucide demonstratur ex loco Plutarchi (Q. R. c. 15) quem supra in pagina 4ª citavi.

Postea tamen, ut ipse Plutarchus in vita Numae c. 16 dicit (vide p. 3) hostia minor, velut agnus ei caedebatur.

Ovid. Fast. II. 655: *spargitur et caeso communis Terminus agno*. Hoc mutatis moribus deo dignius esse videbatur. Igitur *commodo loco, in quo sacrificium abuti conmode possint* (Frontinus p. 43, 5 cf. 74, 1) vel *sub umbra arborum* (241, 5. 6) tale sacrificium faciebant, *errantes* ut adicit àuctor Christianus (Boethius?) cf. 401. 7.

Quotannis eiusdem dei dies festus agebatur, ultimo anni die (sc. vetustissimi Romanorum anni qui decem habebat menses) a. d. VII. Kalendas Martias (23º. die mensis Februarii)[1]. Eadem sacrificia tunc habebantur, deus ab agricolis qui ad communem terminum convenerant, pulte, fructibus, lacte, ture colebatur, coronis ornatus, oleo perfusus (hoc etiam a praetereuntibus interdum fiebat, qui lapidem adorabant, quem cultum omnino neglegere impietatis erat, nimis ei indulgere *τὸν δεισιδαίμονα* designare dicebatur[2]).

Hi lapides *uncti* vel *pingues* appellati, (*λιπαροί*) saepe nominantur, interdum una cum arboribus coronatis[3]).

Talis fuit etiam is lapis *quem pro Iove Saturnus dicitur devorasse*[4]), qui Delphis positus iuxta Apollinis templum, singulis diebus oleo perfundebatur, festis autem rudis lana ei imponebatur[5]). Hunc Zoega suspicatur Amphictyonici foederis monumentum fuisse[6]), Lactantius falso eundem esse atque Romanorum Terminum affirmat.

---

1) Lactantius vel potius Lucius Caecilius de mortibus persecutorum C. 12. 1.

2) Hoc dicunt de Romanis et Graecis: Apuleius Florida c. 1, Minucius Felix Oct. c. 3, Arnobius adv. Nat. I. 39 (pag. 22), Lucianus Pseudomantis c. 30, Tibullus Eleg. I. 1. 11 et 12, Clemens Alex. Strom. VII. p. 713 B.

De Phoenicibus idem testatur Sanchuniathon ap. Euseb. Demonstr. Ev. I. 10. 8 (Müller fr. Hist. Gr. III. p. 566).

De Hebraeis Gen. 28: 18, 31: 13, 35: 14, Augustinus C. D. XVI. 38.

3) Apul. Apologia C. 56: *negant vidisse se qui fuere in finibus eius unum saltem aut lapidem unctum aut ramum coronatum.* Florida 1., Arnobius adv. gentes I. 39 (p. 22).

4) Lactantius Inst. Div. I. 20. 37.

5) Pausanias. X. 20, hunc indicat etiam Hesiodus Theog. 495—500.

6) Zoëga de origine et usu obeliscorum p. 196.

Complures auctores de hac re locuti sunt, ut Iuvenalis:

Et sacrum effodit medio de limite saxum,
Quod mea cum patulo coluit puls annua libo [1]).

Cff. Plin. Hist. Nat. 18. 2 et Dionysius Halicarnassensis Ant. Rom. II 74. 2—5 [2]). Posteavero magis placebat animalis cuiusdam sacrificium, sicut Horatius dicit *vel agna festis caesa Terminalibus* [3]).

Festive et pulchre huius diei celebratio ab Ovidio describitur in libro Fastorum secundo [4]).

Possessor suum quisque latus lapidis ornat sertis et floribus, addens liba et quaecumque incruenta Termino voventur.

Ex suo quisque foco ignem effert ut inde ara accendatur.

Pater, in hac re a filio filiaque adiutus, ter in ignem conicit fruges, favum et vinum adduntur — ita quae tutelae Termini debentur ei redduntur a gratis agricolis.

Sed etiam agnus vel porca caeditur, terminumque sanguine suo conspergit — laetum convivium sequitur, in quo laudes dei cantantur.. Sed ipsius Ovidii verba conferenda sunt ut elegantia poetae amoenitatem festi agrestis melius pingat, quae meis verbis ne adumbrantur quidem.

Postremo in versibus 679—689 ipse Ovidius mentionem facit sacrificii quod quotannis publice sub divo Termino fiebat (prope locum qui Festi appellabatur, ut dicit Strabo, inter quintum et sextum miliarium in via Laurentina — eodem loco etiam Ambarvalia habebantur [5]). Nam etiam in antiquissimis agri Romani finibus talia sacrificia fieri consentaneum erat [6]) et fortasse hic lapis, qui finem inter Romanos et Laurentes indicasse videtur antiquissimae huius religionis memoriam solus diutissime servavit [7]).

---

1) Iuven. Sat. XVI. 38—39.

2) cf. supra pag. 4.

3) Hor. Epod. 2. 59. Plut. Num. 16. Dionys. A. R. II. 74. 2—5. Prudent. c. Symm. II. 1005 sqq., Alexander ab Alexandro Geniales Dies II. 22.

4) Ovid. Fasti II. 639—684.

5) Haec confundit Strabo V. 3. 2. (c. 230), vide de hoc loco quae dicit Preller Römische Mythologie I³ p. 423 in 2ª annotatione.

6) cf. Plutarchus Numa 16. θύουσιν αὐτῷ δημοσίᾳ καὶ ἰδίᾳ. et Dion. Halic. A. R. II. 74. 4 v. supra p. 3.

7) Preller I³ p. 258.

Liceat hic innectere quae de terminorum consecratione Grimm narrat (Deutsche Rechtsaltertümer ed. 4a. 1899) p. 74 sqq: „Die Legung der Grenzzeichen geschah feierlich, zumal wenn sie für ganze Örter, Marken und Gaue eintrat, in Gegenwart des Volks und beiderseitiger Nachbarn. Kinder wurden zugezogen und in die Ohren gepfetzt oder erhielten Maulschellen, damit ihnen zeitlebens die Erinnerung des Vorgangs eingeprägt bliebe. In manchen Gemeinden war der Gebrauch Knaben auf die neugesetzen Steine zu stauchen. Jährlich oder von Zeit zu Zeit wurden die Marken begangen, besichtigt und erneuert. Die Grenzlegung und Begehung heiszt in den alten Urkunden *circumducere*, *peragrare*, auch *cavillicare* (man beritt weit ausgestreckte Marken): circumducere marcham Wirziburganensium, *optimates* et *senes* fines circumducunt et praeeunt iuramento astricti, ut iustitiam non occultarent, sed proderent (Ecc. Fr. or. 1,674).... p. 75: am S. Georgstag (23 Apr.) werden zu Treisa vom Burgermeister, zwei Vorstehern, den *jüngsten* Bürgern, *Schulknaben*, Feldhütern und Hirten die Grenzen der Stadtgemarkung und zwar jährlich ein Theil derselben begangen.

Über den Grenzbegang der zu Lügde, einer kleinen Stadt im Paderbornischen unweit Pyrmont, noch in neueren Zeiten alljährlich geübt wurde, theilt Wigand mit: unweit einer Müle stand ein Grenzstein, nahte sich ihm der Zug, so muste der Müller herzu eilen und mit einem aus dem Zug auf dem Stein Karten spielen: hierbei hatte er jedesmal anzugeben, welche Karte das Jahr zuvor Trumpf gewesen war und eine Strafe zu erlegen, wenn er sich irrte. Solche Steine und Bäume waren heilig und unverletzlich, von den Bäumen durfte nicht Laub, nicht Zweig gehauen werden. (cf. *arbores antemissas*).

Cum Terminalia finem anni indicarent, dies intercalares aut ante aut post (de ea re, ut fit, inter viros doctos controversia est) inserebantur. De hac quaestione conferendi sunt imprimis: Varro l. l. VI. 13, Ovid. F. II. 49. Liv. 43. 11. 13 et 45. 44. 3 et annotationes Weissenbornii ad hos locos. Macrobius Saturn. I, 13. 15 sqq. Censorin. 20. 6.

Praeterea: Scheiffele s. v. Terminus in Pauly Reallexicon (1852)

VI² p. 1707 sqq. G. F. Unger in Iwan Müller, Handbuch der Klassischen Alterthumswissenschaft I². p. 819 sqq. Th. Mommsen, Röm. Chronologie p. 279.

DE TERMINORUM DEIS TUTELARIBUS.

SILVANUS [1]).

Inter numina rustica non ultimum locum occupat Silvanus. Numerandus est inter antiquissimos Italiae deos, et perdiu a Graecorum mythis purum se servavit.

Ut nomen euis indicat, propriam sedem habet in silvis, ibique testis fuit non tantum horridae vitae priscorum incolarum verum etiam humanitatis et agriculturae primordii.

Ut *incultae pacarentur vomere silvae* (Hor. Ep. I. 2. 45), arbores erant exstirpandae, — neque tantum partem sui dominii deus hominibus quasi concedebat, sed etiam limitem semel indicatum custodiebat et a violatoribus tutum praestabat. Idem quod in nemorosa quondam Italia etiam in Germania invenitur sc. custodia finium deis silvarum commissa [2]) — semper enim et ubique in his terris silva ipsa agrum culturae destinatum circumdabat et protegebat. Huic deo in ipsis finibus luci vovebantur [3]), cuius rei vetus exemplum narratur a Vergilio.

Arta cohaerentia inter deum Silvanum et fundos agricolarum antiquam religionem peperisse videtur quae describitur in libris Dolabellae (302. 13 sqq.): *Omnis possessio quare Silvanum colit? Quia primus in terram lapidem finalem posuit. nam omnis possessio tres Silvanos habet. Unus dicitur domesticus, possessioni consecratus. alter dicitur agrestis, pastoribus consecratus. tertius dicitur orientalis, cui est in confinio lucus positus, a quo inter duo pluresve fines oriuntur. ideoque inter duo pluresve est et lucus finis.*

Hic Silvanus orientalis est qui ab Horatio [4]) *tutor finium* ap-

---

1) cf. Hartung. Religion der Römer II. p. 170 sqq. Preller. Röm. Myth. I³. 392 sqq.

2) cf. J. Grimm. Abh. d. Berl. Akad. 1843. p. 111 et 116 sqq.

3) cf. Verg. Aen. VIII. 596 sqq.

4) Hor. Epod. 2. 22. cf. Grat. Cyneg. 20: *inculto Silvanus termite gaudens.*

pellatur. Nil mirum est, si inter inscriptiones plurimae Silvano sunt consecratae quippe deo agriculturae pecori omnique hominum cultui utilissimo; compluribus hoc cognominibus indicatur, inter quae *sanctus* finium custodem demonstrare videtur. Digna sunt quae memorentur duo longiora carmina Silvano dedicata Orelli 1613 et Henzen 5751.

IUPPITER.

Summus Romanorum deus non solum lucis et coeli deus est, qui pluviam demittit et fulgura torquet, sed est etiam iuris et aequitatis custos, fidem et sanctitatem tuetur. Varia deorum, ut notum est, munera variis nominibus indicari solent, quae saepe seorsum inveniuntur, non addito nomine dei ipsius cuius sunt pro qualitate, et ita interdum novae nascuntur notiones, novi dei, quorum vinculum cum numine principali saepe in oblivionem abit.

Ita finium custos nemo est nisi Juppiter ipse, ut apud Graecos *Ζεὺς ὅριος*, sed mutato tantum nomine mox Dius Fidius, mox Semo Sancus, mox Terminus appellatus. Non sunt tria numina, inter se distingui non possunt, sed una atque eadem est persona, nunc hanc nunc illam speciem prae se ferens.

Sed singulos sub singulis nominibus tractabimus.

Iovem, a quo omnia pendent, qui omnia suo loco disposuit et pater est iuris et fidei, etiam primum terminum posuisse facile intellegitur.

Iovem Terminum vel Terminalem, ut praedicatur, non saepe his duobus nominibus appellatum invenimus.

Lapis in Hermam formatus in agro Ravennate effossus hanc inscriptionem ostendit:

IOV. TER. M. VAL. ANT. AN. TI. CO. V. L. S.

i. e. sicut Borghesius interpretatur: Iov(i) Ter(minali) M. Val(erius) Ant(onius) Antico, Mommseno verum magis placet M. Val(erius) Ant(iochus) An(nii) Ti(beriani) co(mes). Utut est, hic lapis est ,,Herma marmoreus altus m. 1. 43, exhibens formam iuvenis usque ad pudenda, quae dicuntur esse utriusque sexus. Vestitus est pallio, quo involutum bracchium dextrum impositum

est pectori, bracchium sinistrum pendet", ut legimus C. I. L. XI. 351.

Gerhard[1]) opinatur hoc Iovis terminalis signum esse, melius Henzen[2]): „Iov(i) Ter(minali) cui Herma dedicatus est. Imago enim iuvenilis signis utriusque sexus ornata Iovem ipsum indicare nequit."

Tota res proprie non pertinet ad religionem Romanam, Herma in hanc formam redactus, est imitatio consuetudinis Graecorum, de qua infra agemus. (vide pag. 92 sqq.).

Etiam in nummis Romanis Juppiter Terminalis conspicitur sub Hermae forma, crinibus et barba cirratis, sc. in denariis quos faciendos curavit M. Terentius Varro cum pro quaestore Pompeium comitaretur.[3]) Mommsenus suspicatur ideo hos denarios Iovis Termini simulacro ornatos esse, quia fortasse Varro nomen suum Terentium ex eadem radice ortum esse credidit atque verbum termini, sicut ab eodem l. l. V. 21 terra et terminus a radice verbi terendi derivantur. Quo anno hi denarii sint cusi non constat, Roth[4]) anno 678° u. c. credit esse factos, Babelon circa annum 705um eos ponit (II p. 485). Ceteroquin videri possunt apud E. Babelon Description Historique et chronologique des monnaies de la république Romaine 1885, 86. pars I. p. 278 n. 47, et 279, n. 48 et 49, II. p. 135, n. 19 et 20, 343 n. 7, 388, ubi effigies Iovis Terminalis in nummis invenitur.

Praeterea I. 298 et 299 deus ipse Terminus conspicitur in denariis, in formam Hermae (299 n. 22) et sub imagine iuvenis imberbis (299 n. 23) — sunt nummi M. Calpurnii Pisonis Frugi.

Denarii Varronis inveniuntur II p. 485 et 486 n. 15.

Etiam collectio veterum agrimensorum exemplum exhibet huius persuasionis popularis — fortasse haec verba fluxerunt ex libris haruspicum Etruscorum — sc. pag. 350 formam habent oraculi, et inscripta sunt: Ex libris Vegoiae Arrunti Veltymno:

---

1) Ann. d. Inst. 1847. p. 327.

2) Hensen ad. p. 5648.

3) Mommsen. Geschichte des Römischen Münzwesens p. 654 a. 553. cf. Cohen Cons. T. XXXIX Ter. 5. 6.

4) Roth. Leben des Varro. Basel 1857. p. 12.

Scias mare ex aethera remotum, cum autem Iuppiter terram Aetruriae sibi vindicavit constituit iussitque metiri campos signarique agros. Sciens hominum avaritiam vel terrenum cupidinem, terminis omnia scita esse voluit, quos quandoque quis ob avaritiam prope novissimi octavi saeculi data sibi homines dolo malo violabunt contingentque atque movebunt sed qui contigerit moveritque, possessionem promovendo suam alterius minuendo, ob hoc scelus damnabitur a diis. si servi faciant, dominio mutabuntur in deterius. sed si conscientia dominica fiet, caelerius domus extirpabitur, gensque eius omnis interiet. motores autem pessimis morbis et vulneribus efficientur membrisque suis debilitabuntur. tum etiam terra a tempestatibus vel turbinibus plerumque labe movebitur. Fructus saepe ledentur decutienturque imbribus atque grandine, caniculis interient, robigine occidentur. multae dissensiones in populo. fieri haec scitote cum talia scelera committuntur. propterea neque fallax neque bilinguis sis. disciplinam pone in corde tuo[1]).

Apud Graecos *Ζεὺς ὅριος* simili honore fruebatur, eius nomen non saepe citatur. Invenitur apud Platonem de legibus VIII. 842 e (cf. supra pag. 2) et praeterea apud Demosthenem *π. Ἁλονν.* § 40.

Dionysius Hal. Ant. Rom. II. 74 Romanorum Terminum per *Δία ὅριον* vertit (vide supra p. 4).

Sed omnia quae de Jove Terminali dicto nota sunt, tam manifestam ostendunt imitationem Graecorum ut non obsurdum videatur credere eum in Italia non esse nativum[2]).

---

1) 4 Lachmann proponit pro *scita: saepta* vel *sancita*.
5 Turnebus delet *quis*.
5. 6 Lachmann *data sibi: lascivi*.
12 Turnebus *afficientur*.
15 Lachmann: *occident. — erunt multae*.
ego: 9 legendum est: *facient*.
5. 6 pro *data sibi: perditissimi*.
9 *dominio mutabuntur in deterius* male vertit Preller Röm. Myth. I^3 p. 256: so sollen sie von ihrer Herrschaft harte Strafen leiden. His enim verbis indicatur: in aliorum a quibus asperius tractentur, dominium transibunt.

2) Vide de hoc deo. Hartung II. p. 47 sqq. Preller. Röm. Myth. I^3. 254 et 255. Preller. Gr. Myth. I^3. p. 120. Perdrizet in Daremberg et Sanglio III. p. 710 de Jove Terminali.

Iupiter lapis ille qui vocatur, non cum Iove terminali est confundendus — hunc errorem commiserunt viri doctissimi — inter quos imprimis Walz. (de religione Romanorum antiquissima Tübingen 1845. 4 p. 8): „postea quum Numa puriorem religionem introduxisset terminosque agriculturae stabiliendae causa sacrosanctos esse iussisset, lapis ille Termini nomine colebatur temploque Iovis extructo pro antiqua Iovis ipsius imagine habitus et Iupiter Lapis appellatus est, unde natum iusiurandum per Iovem Lapidem, quod Romanis sanctissimum erat" [1]).

Inter plures locos qui de hoc lapide agunt citabo Festum (Paulum) s. v. lapidem silicem: *silicem tenebant iuraturi per Iovem, haec verba dicentes: si sciens fallo, tum me Diespiter salva urbe et arce bonis eiciat, ut ego hunc lapidem.* Ut putat Preller hic lapis silex erat qui Fetialium ritui inserviebat. Silex enim, ait, symbolum est fulminis, et ita quodam modo hoc signo Iuppiter Tonans ipse exprimebatur, numen quod violata foedera ulciscebatur. In foederibus enim faciendis Fetiales hoc signo lapideo utebantur, et confert formulam eorum iuris iurandi apud Livium I. 24. 4 sqq et praeterea IX, 5 et XXI, 45. Sed v. cl. Valeton clare demonstravit iusiurandum per Iovem Lapidem ortum esse ex eo iure iurando quo Fetiales populum Romanum, cum foedus feriretur, obstringebant — [2]) hic usus postea in hominum vitam privatam penetravit, ut per eundem deum iuraretur, qui ex instrumento quod huic ritui erat necessarium nomen Iovis Lapidis sibi adscivit [3]).

Ennius verbum iurisiurandi cum nomine Iovis eodem versu coniunxit [4]). *O Fides alma, apta pinnis, et ius iurandum Iovis*, fortasse ut aliquam indicaret cohaerentiam esse inter verba *ious* et *Iovem.*

---

[1]) Idem dixere Böttiger. Ideen zur Kunstmythologie 1826—1836 II. p. 136 et Zoëga de obeliscis p. 208: „a foederum cippis dictus videtur Iuppiter Lapis", M. de Boze. Du dieu Terme et de son culte chez les Romains in Mém. de l'Acad. Royale des Inscr. et Belles Lettres I. p. 56 (1736).

[2]) Valeton de Iove Lapide. Aanteekeningen Sectieverg. Utrechtsch Genootschap 1883. cf. etiam Cic. fam. 7. 12. 2. Gell. N. A. I. 21. Polyb. III. 25. Apul. de deo Socr. p. 131 (Oudend.) Serv. ad Aen. VIII. 641.

[3]) vide Hartung R. d. R. II. 10. Preller. Röm. Myth. I^3. p. 247 sqq.

[4]) Enn. Fabulae v. 307 ed. Lucian. Müller.

Graecorum *Ζεὺς ὅρκιος* vel *Ὅρκος* cum Iove Lapide saepe sed falso collatus est (Valeton p. 20)[1]. cf. Perdrizet apud Daremberg. i. v. Iuppiter III p. 711.

DIUS FIDIUS ET SEMO SANCUS.

Italorum opinio cuique homini attribuebat genium, qui immortalis erat, licet quodammodo cum homine nasceretur[2], simulque tutelae eius salutis appositus erat[3].

Etiam dei, qui hominum forma effingebantur, tali genio non carebant. Notissimus horum est genius Iovis ipsius. Sicut Iuppiter iuris fideique est maximus custos, eodem munere Genius fungitur, qui hanc ob causam Dius Fidius vulgo nominatur, quod nomen Graeci non ad verbum sed ad sensum recte transferunt: *Ζεὺς πίστιος*.

Hunc omnes antiquitatis scriptores eundem fuisse atque Sabinorum Semonem Sancum affirmant[4], atque eorum nomina saepe coniuncta inveniuntur: Semo Sancus Dius Fidius, cuius erat in colle Quirinali Templum, a Tito Tatio conditum[5].

Hos esse eosdem, itaque et Semonem Sancum esse Iovis genium, eo demonstratur quod uterque idem est atque Hercules, sc. Hercules Italorum qui Genii instar est.

Haec ita se habere Reifferscheid luculente probavit[6]. Hercules-Genius et ipse tuebatur ius iurandum et foedera, eodem igitur modo quo Dius Fidius et Semo Sancus[7].

---

1) cf. Hesiod. Theog. 231. 232; Op. et Di. 219; Her. VI. 86. Pind. Nem. 11. 30. Thuc. V. 47. Il. 7. 411. Od. 19. 303. Soph. Phil. 1324, Eur. Hippol. 1025. Luc. Timon. 1. Similem Arabum usum narrat Herodotus III. 8. et praeterea Preller. Gr. Myth. I³. p. 120.

2) Appuleius de deo Socr. 151.

3) Amm. Marc. 21. 14.

4) cf. Festus p. 238 s. v. praedia: signum scs (in aede scs † qui deus dius fidius vocatur, ut edit Thewrewk de Ponor in novissima Festi editione) mihi videtur ortum esse ex *Semonis Sanci*, Ovid. fast. 6. 213 sqq., Cato apud Dion. Hal. II. 49, IV. 58.

5) vide C. I. L. VI. 567—569. S. Sancus solus memoratur Liv. VIII. 20.

6) De Hercule et Iunone diis Italorum coniugalibus in Annali dell' Instituto 39. 1867 p. 352 sqq.

7) vide de his: Roscher Lexicon der Griechischen und Römischen Mythologie I. p. 2255. 50 sqq.: Formula est notissima: *me dius fidius*. Semonem et Herculem eosdem esse dicit Festus s. v. *propter*. p. 229.

Inter se coniunctos esse Dium Fidium et Iovem deum lucis vel inde apparet quod sub divo per eum iurabatur, eique qui domi iuraturus erat in compluvium erat prodeundum [1]. Simile quiddam etiam de Termino ipso narratur [2], cuius templum etiam tectum habebat apertum. Sed C. Iullian in Daremberg et Saglio Dictionnaire des Antiquités Grecques et Romaines Paris Hachette. 1900. II pars I[a]. S. v. *Dius Fidius* hunc credit semideum vel potius hominem divino honore postea celebratum (unde nomen dius ei videtur esse ortum), qui sub Tatio templo et cultu suo est donatus. Dubitat num Dius Fidius et Semo Saucus ab initio iidem fuerint, licet tempore Ciceronis eosdem fuisse fateatur.

In eodem libro II. parte II[a] s. v. *genius* Hild tamen deos eorumque genios inter se distinguit. (p. 1491).

TERMINUS.

Longe notissimus finium custos erat Terminus, cuius nomen habeant etiam lapides finales.

Titus Tatius rex Sabinorum primus templum Termino vovisse dicitur [3]. Hoc est notissimum templum quod erat in Capitolio.

Terminalia a Numa rege instituta esse dicuntur, et posita in ultimum anni diem [4].

Terminos quoque qui ponerentur ad fines stabiliendos sanctos esse voluit, et violatoribus poenam constituit: *Termino sacra faciebant quod in eius tutela fines agrorum esse putarent. Denique Numa Pompilius statuit eum qui terminum exarasset, et ipsum et boves sacros esse* [5]. Postea Tarquinius Superbus, ut magnum Iovi templum ibi aedificaret, cetera fana sacellaque quae in monte Tarpeio erant, exaugurare voluit: *cum omnium sacellorum exaugurationes admitterent aves, in Termini fano non*

---

1) cf. Varro l. l. V. 66 et Nonius Marc. Merceri p. 494; Plut. Q. R. 28 ide narrat de Hercule.

2) de Dio Fidio et Sanco vide Hartung II. p. 44 sqq., Preller R. M. I³. 91 et 247, II. 270 sqq., inque primis Wissowa apud Roscher I. p. 1189.

3) Liv. I. 55. 2 sqq. Varro l. l. V. 74.

4) Dionys. Hal. II. 74. Plut. Numa 16. Qu. Rom. 15. vide supra p. 4. Plin. Hist. Nat. XVIII. 2.

5) Festus (Paulus) p. 368. s. v. Termino.

addixere, idque omen auguriumque ita acceptum est, non motam Termini sedem unumque eum deorum non evocatum sacratis sibi finibus firma stabiliaque cuncta portendere[1]).

Igitur sacellum Termini Iovis templo inaedificatum est [2]). Sed *quo loco colebatur, super eum foramen patebat in tecto quod nefas esse putarent Terminum intra tectum consistere*[3]). Etiam non nisi sub divo ei sacrificabatur, ut dicit Servius [4]).

Templum Termini foramen in tecto relictum habebat, *ut libero caelo frueretur*[5]), erat itaque in eorum numero qui *sub divo* (*diu*) *hypaethraque constituuntur*[6]), ut Vitruvium laudem qui eodem loco dicit diis Iovi, Fulguri, Caelo, Soli, Lunae talia templa esse exstruenda.

Plutarchus Qu. R. 28 idem narrat de Hercule nominatim. Sed Varro L. L. V. 66 de Iove: *Itaque inde eius perforatum tectum ut ea videatur divum, id est caelum.* Aliquam igitur esse coniunctionem inter Iovem Terminumque, et hunc non simpliciter deum agrestem esse, sicut Silvanus erat, satis iam apparere videtur; cur enim libero coelo ei est fruendum, si tantum terrestria eius sunt dicionis [7])? Sed vide infra p. 91.

Cedere Terminus ne Iovi quidem voluit, *Capitoli immobile saxum* eius in Capitolio simulacrum a Vergilio [8]) vocatur. Postea tamen, ut Augustinus [9]) non sine quadam misericordia scribit, *necessitati cessit qui non cesserat Iovi*[10]). Immobilitas immo Termini Romanorum imperium nemini locum daturum portendebat, sed iam ante Christi adventum hoc falsum fuisse auspicium apparuit et gens Martia a Gallis in ipsa Urbe contrita est.

---

1) Livius I. 55, 3. 4. cf. Dim. Hal. III. 69 qui sub Tarquinio Prisco factum esse narrat.

2) Liv. V. 54, Gellius. N. A. XII. 6. Aug. Civ. D. IV. 23. 3, IV. 29. Dion. Hal. III. 69, Florus I. 7. 8, Festus p. 162 s. v. nequitum. Ovid. fast. II. 667 sqq.

3) Festus (Paulus) p. 368 s. v. Terminus. cf. ibidem p. 157.

4) Servius ad Aen. IX. 448 (446 in editione Thilo et Hagen.).

5) Lactantius Inst. Div. I. 20 in fine.

6) Vitruvius I. 2.

7) Vide de his hypaethris: M. Quatremère de Quincy „Mémoire sur la manière dont étaient éclairés les Temples des Grecs et des Romains" in Histoires et Mémoires de l'Institut Royal de France (Classe d'Histoire et de littérature ancienne) 1818. M. p. 166 sqq. imprimis 252 sqq.

8) Verg. Aen. IX. 448.

9) Aug. C. D. IV. 29.

10) Aug. C. D. V. 21 in fine.

Nonne, cum Hadrianus tres provincias nobiles Armeniam, Mesopotamiam, Assyriam Persarum concederet imperio, Terminus hunc hominum regem magis quam Iovem timuisse videtur? Postea cum, Iuliano occiso, Ioviano novi fines essent accipiendi, etiam tunc Iuliani temeritati, Ioviani necessitati cessit deus Terminus. Sed videte ipsum Augustinum l. c. Lactantius I. 20 vehementer talis Dei cultores lapides et stipites potissimum esse dicit, ipsi deo pares.

Deum Terminum in templo suo lapide effingi[1]) nemo mirabitur, quippe multa numina in tali forma culta esse legimus — sed deus ipse lapidum terminalium quid aliud nisi lapis esse potuit?

Verum si perlustramus antiquissima quaeque tempora barbariaeque plena, invenimus fere ubique lapides pro deis esse cultos, e. c. apud Arabes[2]). Imprimis forma quadrata et forma coni vulgo in usu fuisse videntur, sed rudes informesque lapides vetustiore tempore colebantur, et in summo honore semper manserunt[3]). Apud Graecos prae ceteris hunc usum servaverunt Arcades[4]). Pausanias multa huius rei affert exempla, citabo nonnulla quae enumerat Zoega de obeliscis p. 225 sqq. Lib. IX c. 24 narrat eiusmodi effigiem apud Boeotios pro Hercule cultam esse, IX 27 dicit Thespienses talem Erota, IX 38 tres lapides Orchomenios pro Gratiis veneratos esse, III. 30 septem pilas apud Lacedaemonios totidem stellas errantes effinxisse. In Megarensium gymnasio lapis pyramidalis Apollo Carinus dicebatur (I. 44), apud Sicyonios in foro Juppiter Milichius pyramidis, Diana Patroa columnae figuras habebant (II, 9). Notior est Venus Paphia, quam describit etiam Tacitus[5]): *simulacrum deae non effigie humana, continuus orbis latiore initio tenuem in ambitum metae modo exsurgens, set ratio in obscuro*, etiam in Cypriorum nummis dea talem habet formam.

Thebani palum habebant pro Baccho (Paus IX, 10), in eadem

---

1) Valeton simulacrum Termini nihil esse nisi aram huius dei credit in ann. 37 et 39. Aant. sectieverg. Utrechtsch Genootschap 1883.

2) Arnobius adv. nationes VI. 11.

3) Pausanias VII. 22. 3 hoc disertis verbis dicit.

4) Pausanias VIII. 48.

5) Tac. Hist. II. 2 et 3.

causa fuisse etiam Minervae ξόανον in Atheniensium acropoli verisimile est (Paus. I. 26). Idem traditur de Cerere Eleusinia, de Junone apud Samios et Thespienses, de Baccho Lesbiorum, ne nimia multitudine taedium moveatur.

Notissimum est a° 204° a. Chr. n. cultum Magnae Matris Romam esse translatum, eiusque simulacrum, rudem sc. lapidem, advectum Pessinunte, in monte Palatino esse positum [1]).

Imprimis Graecos informibus his deis non contentos, sublimiora appetivisse, declarant pulcherrima signa, quae, pro parte etiam nunc exstantia, huius quoque temporis artificibus summam movent admirationem.

Sed Termini nullum usquam prodiit simulacrum, vel lapis, vel stipes ab antiquis vocatur [2]), durus et immobilis manet, custos inexorabilis iuris constituti, numquam cedendo cum ipsorum Romanorum ingenio iure comparandus.

Licet testimonia desint, cuique perspicuum est apud Romanos, quorum numina, humilioribus ingeniis procreata, plerumque in vita quotidiana versantur (cf. Saturnum qui sata tuetur), vel earum quae rei publicae usui sunt virtutum habent nomina (Libertas, Victoria, Fides, Pietas etc.), [3]) ipsum Terminum qui forma lapidis quam potest optime immobilitatem finium effingit, vetustiorem esse quam Jovem Terminalem, qui Graecorum *Διὸς ὁρίου* exemplo fictus esse videtur. Omnia quae de Iove Termino novimus, recentiori debemus tempori, cum cultus Graecorum iam notus esset et paulatim in Italiam penetraret. Nonne veri simile est Termini in Capitolio simulacrum ideo sine tecto mansisse, quod deus agrestis erat, qui *ὑόμενος καὶ ἀήμενος*, semper sub Iove frigido vitam agitabat, ut ipsi termini intecti cuique erant perspicui [4]).

---

1) Liv. 29, 11. 14. Ov. fast. IV. 246 sqq.

2) cf. Ov. fast. II. 641 sqq. Tibull. El. I. 11.

3) cf. O. Weise, Charakteristik der Lateinischen Sprache, 2a ed. pag. 24 sqq.

4) De Termino imprimis consulendi sunt. M. de Boze, Du Dieu Terme et de son culte chez les Romains, Mém. de l'Acad. des Inscr. et Belles Lettres I. p. 50 sqq. (1736); Scheiffele in Pauly Realencyclopaedia (1852) s. v. Terminus; C. F. Hermann de terminis eorumque religione apud Graecos Göttingen (Programma) 1846 passim; Zoëga de obeliscis, p. 193 sqq. passim.

Preller, Röm. Myth. I3. p. 254 sqq.

Sed iam ad Graecos transeundum est inter quorum deos terminos tuentes iam paucis egimus de eo qui primus est nominandus *Ζεὺς ὅριος*, vide supra p. 85.

Breviter itaque dicendum est de Herme.

De hoc praesertim videndus est C. F. Hermann, de terminis eorumque religione apud Graecos in capite II. p. 13 sqq.

HERMES.

Hic cum Iove Graecorum Terminali praesertim fines tueri credebatur, Hermes enim, cui omnis modi commercia cordi sunt *(ἀγοραῖος)*, imprimis in finibus diversorum populorum colebatur, quo accolae convenire solebant ut negotiarentur: *ἀγορὰ ἐφορεία*. Etym. magn. p. 13. Demosth. adv. Aristocr. § 39. Facili igitur confusione finium tutelaris factus esse potest, cum iam *ἐνόδιος* vias et viatores numine suo protegeret.

Ipsum Hermae nomen cohaeret cum Graeco *ἕρμα*, unde derivata sunt nomina illorum lapidum acervorum, qui ad vias purgandas simul et indicandas a praetereuntibus accumulabantur, quique Hermae erant sacri, sc. *ἑρμαῖα*, *ἑρμαῖοι λόφοι*, *ἕρμεα* [1]). Hermae peculiare est signum forma cippi oblongum, quadratum, superne crassius, caput humanum cum barba et praeterea veretrum gerens, et ita saepe hi cippi, qui et ipsi *Ἑρμαῖ* vocantur in Graecia terminorum loco inveniebantur, ut interdum lapides terminales *Ἑρμαῖ* appellentur [2]). Saepe circum talem Hermae effigiem acervus lapidum colligebatur, vel etiam in triviis et quadriviis. Cum deo terminali ille phallus nihil commune habet, licet interdum lapides finales tali phallo ornarentur [3]),

---

1) Hesych. s. v. Etym. Magn. s. v., Suid. s. v. Hesych. s. v. *ἕρμεον* Strabo VIII. p. 343 *ἑρμεῖον* dicit: *ἕρμακες*. Schol. in Nicandri Theriaca 150. cf. Tzetz. Var. hist. Chiliad. XII. 591.

2) Paus. II. 38. 7, III. 10. 7, VIII. 34. 6 et 35. 1.

3) vide Scaligerum in ann. ad Priap. XXIX (in editione Priapeiorum a Gaspare Scioppio p. 141) et Babelon II. p. 64, n. 153 ubi in denario Augusti Herma ithyphallicus videtur, cui caput Augusti laureati impositum est.

Hermae adiectus esse videtur quasi deo fecunditatis (huiusque fuit antiquissimum symbolum), atque ita ex usu communi etiam in terminos transisse.

Ab Hesychio nominatur *Ἑρμῆς ἐπιτέρμιος*, qui e. g. in finibus Messeniae et Megalopolis, Argivorum et Arcadum *(ἑρμαῖα)*, Argivorum et Lacedaemoniorum, inter Argivos et Tegeatas inveniebatur.

Sed nomine Hermae non semper Hermae ipsius simulacrum appellabatur, haec forma signi, olim fortasse ei soli propria, transiit ad alios deos, imprimis ad Dionysum, qui ex multis partibus cum Herma est coniunctus. Hermae nomine servato ita orta sunt: *Ἑρμαθῆνα*[1]), *Ἑρμηρακλῆς*, *Ἑρμοπᾶν*, *Ἑρμάρης*, *Ἑρμέρωτες*, *Ἑρμαφρόδιτος* etc.

Sed incertum est, utrum in tali Herma Mercurii caput semper fuerit, adiunctum alteri deo, an simpliciter stela caput unius numinis ostenderit. Huius formae certum Hermae sunt inventi, e. g. Posidonis, Iovis *τελείου*, Apollinis, sed etiam multi extant, qui duo habent capita, vel eadem, vel dissimilia, immo vero et tria et quattuor capita in uno lapide apparent *(Ἑρμῆς τρικέφαλος* et *τετρακέφαλος)*. Non tantum dei illo modo effingebantur, etiam viri, doctrinae similitudine coniuncti e. c. Thucydides et Herodotus, Bias et Thales, Homerus et Archilochus, unde apparet usum tales effigies faciendi multum esse celebratum et ita Hermas sensim transiisse ex usu religioso in vitam quotidianam et exempla dedisse in quae artis monumenta redigerentur, vide e. g. apud Babelon II. p. 65, n. 155 in denario imaginem Augusti laureati et sub forma Hermae.

Cum in Italia innotuisset, ibi etiam hic usus frequens fuit. Ita Iuppiter Terminalis in hac forma videtur, barba et capillis crispis, ut in nummis conspicitur, (de Herma Ravennate supra diximus in pag. 83), etiam Silvanus (Pan) capite cincto ramis pini[2]), item iuncti Faunus et Tutanus — quod eo magis est mirandum quod ex his videmus etiam deos proprie Italicos qui cum Graeca mythologia non cohaerebant, eodem modo esse tra-

---

[1]) Cic. ad. Att. I. 4. 3.

[2]) cf. Bötticher Baumkultus der Hellenen, p. 79 (fig. 18).

ctatos quo ceteri, quorum cognatio cum Graecis erat perspicua[1]).

Memorabile est distichon in Anthol. Pal. IX. 316:

Ἄμμες ὅρων φύλακες δισσοὶ θεοὶ, ὧν ὁ μὲν Ἑρμῆς,
Οἶον ὀρῆς μ᾽ οὗτος δ᾽ ἅτερος Ἡρακλέης,

ubi vides etiam Heraclea inter *ὅρων φύλακας* numerari.

Etiam apud agrimensores inter signa finalia *Hermula* enumeratur: 341, 26. (ubi legitur: Bermula) — itemque 293, 3 et 402, 5 *lapides in effigie Termini*, ubi utrobique annotatur hos non esse scriptos, sed forma ipsa satis videlicet vim eorum terminalem indicabat.

Termini in effigie tituli (i. e. Termini) memorantur: 228, 8 (*term. Tiburtini in effigie tituli in tetragonon*, *alii trigonii*, *alii rotundi in effigie columnae*), 241, 9 (*in effigiem tituli*) itemque 401, 13. Hi omnes sunt eorum generis, qui vocantur cursorii.

Mire Rigaltius ad Goesii ed. p. 252 pro tituli proponit *tubuli* cf. 345, 10. Goesius ipse ubique legere vult *tutuli*, i. e. coma in formam metae composita, ut habebat Flaminica Dialis. Lachmannus in ann. ad pag. 228 mihi verius dixisse videtur quae supra scripsi.

Semel tantum apud Paus. II. 35 inveniri videtur Apollo qui *ὅριος* vocatur. Apollo *ἀγυιεύς* qui praesertim Athenis frequens erat, semperque habebat cippi formam in obeliscum extenuati, videtur finem viarum privatorumque possessionum indicavisse[2]).

DE VOCABULO TERMINI ETC.

Plures extant eiusdem verbi formae; antiquiores sunt: *termen* gen.: *terminis* et *termo* gen.: *termonis*, quibuscum conferenda sunt Graeca *τέρμα* et *τέρμων*[3]).

---

[1]) Vide de Herma:

Preller (Plew.) Griech. Myth. I. p. 401 sqq.

Pierre Paris ap. Daremberg et Sanglio Dict. des Ant. III. p. 130 sqq.

Scherer apud Roscher I. p. 2390 sqq.

Gerhard, Über Hermenbilder auf Griechische Vasen in Akad. Abhandl. II. p. 126 sqq.

Gerhard de religione Hermarum.

Otto de tutela viarum p. 152 sqq.

[2]) vide Hermann de terminis p. 24 sqq.

[3]) cf. Dr. F. Stolz in I. Müller, Handbuch der klassischen Altertumswissenschaft ed. 3a vol. II. 2. p. 111 et 112.

Saepissime tamen legitur forma haec: *terminus.*

Termins quod invenitur C. I. L. I. 199. 15 fortasse est vitium marmorarii [1]).

Finis indicat extremitatem linea acta aut natura loci constitutam, *terminus* est extremitas arte facta quae indicat rem, quae definitur, non longius procedere [2]).

Döderlein, Lat. Syn. und Etym. IV. p. 363 terminum derivat ab eadem radice, quae est in Graeco τέλος (τελεῖν, Hom. τέλλειν); *Prellwitz*, Etymologisches Wörterbuch der Griechischen Sprache (1892) s. v. τέρμα et τείρω (collato Indico tarma(n) quod in lexico Petropolitano vertitur: 1°. Überfahrt et 2°. Spitze des Opferpfostens) enumerat Graeca verba quae supra iam attuli atque ea derivat a radice verbi τείρω (tero) — Ind. √tar = transire.

Memorabilis est explicatio quam huius verbi praebet Varro l.l. V. 21.: *Terra dicta ab eo, ut Aelius scribit, quod teritur, itaque Tera in augurum libris scripta cum R uno. ab eo colonis locus communis, qui prope oppidum relinquitur, Teritorium, quod maxime teritur. ..... hinc fines agrorum Termini quod eae partes propter limitare iter maxime teruntur, itaque hoc cum I in Latio aliquot locis dicitur, ut apud Accium non terminus sed Termen. hoc Graeci quod τέρμονα, pote vel illinc.*

Isidorus 366, 19—22 (Originum XV. 14. 3): *Termini dicti quod terrae mensuras distinguunt atque declarant. His enim testimonia finium intelliguntur et agrorum intentio et certamen aufertur.*

De hoc verbo perantiquum neque infacetum aenigma legitur apud Aulum Gellium N. A. XII. 6:

,,Semel minusne, an bis minus sit non satis scio
,,An utrumque eorum, ut quondam audivi dicier
,,Iovi ipsi regi noluit concedere.''

In editione Flori (1660) cum notis Salmasii et aliorum ad lib. I c. VII § 8, his versibus citatis, proponitur *nescio* pro *non satis scio*, quod metro melius quadrat.

Etiam in editione Hertzii a° 1885 legitur:

,,Semel minusne an bis minus sit nescio'' etc.

Etiam obscoeno sensu legitur verbum termini — in glossis Nonii Marcelli (ed. Quicherat p. 154, Merceri ed. p. 146):

---

1) Stolz in 2a annotatione ad pag. 106.

2) cf. Döderlein, Lateinische Synonyme und Etymologieën IV. p. 359 sqq.

Ocquiniscere est proprie inclinare .... Pomponius .... Pistore
,,Nisi nunc aliquis subito obviam occurrit mihi
,,Qui ocquiniscat, quo impingam terminum in tutum locum.''

In linguis Umbrica et Osca hae formae verbi termini inveniuntur [1]):

acc. sing. cum postp. *termnom-e* }
abl. sing. cum postp. *termnu-co* } a radice *termno.*
abl. plur. cum postp. *termnes-tu* }

Umbrica forma *termnas* videtur esse praes. part. pass. a verbo cui respondet Latinum *terminare.*

Dignissimus cuius mentio fiat est locus Vitalis et Arcadii auctorum 343, 29—344, 3: .... *qui terminus dici non potest, eo quod plus a tres pedes habeat, ideoque termetis dici debet. nam terminus pro hoc dicitur quod tres pedes non integros habeat.* Et Caius et Theodosius auctores 346, 11 sqq. habent: *Terminus quam maxime ideo IIs ped. habet, quod tali nomine utatur.*

De verbo *termetis* aliunde nihil apparet, videntur igitur hi auctores terminum derivasse: ab eo quod tribus pedibus est minor.

,,Ut constet sensus, legendum Termagis'', annotat Rigaltius in observationibus.

Goesius in Indice cum indignatione scribit: ,,Nugator! quasi terminus sit dictus a *ter minus*, ut magister a *magis ter.* In notis idem Goesius ad pag. 250 rogat: an non legere potuit hic mortalis, quisquis fuerit, esse etiam terminos *quinquepedales* et item *rotundos*?

Fortasse et ad hanc etymologiam pertinent ea quae leguntur 362, 16 sqq.: *amplius mensura eius non potest inveniri quam tertio pede de manu, et de his pedibus semisse minus unum.* Estne legendum pro *de manu: ne magis*?

Du Cange in Glossario mediae et infimae Latinitatis has habet formas verbi nostri:

Termen: pro *Terminus* occurrit apud veteres agrimensores, in collatione Legum Mosaicarum cet.

Terminales in gloss. Gr. Lat. singulare non habet.

---

1) Conway. The Italic Dialects II. p. 662 (1897).

Terminatio Terminus, *Limes* (vide apud ipsum Du Cange locos ubi haec forma legitur).

Terminatus substantive pro Terminus, non semel apud Frontinum de aquaeductibus et in fragmentis legis Mamiliae cf 281, 21.

Terminia, *Terminea*, Terminus, limes. In Collatione Legis Mosaicae tit. 13 inscribitur: De Terminia mota. Et infra: explicit de Terminea mota.

Terminium, Terminus, limes-passim in veteribus instrumentis.

Terminum, Terminus, limes.

Lapides terminales saepe apud Gromaticos *casales* sc. termini, vel *casalia* sc. signa vocantur a verbo *casa* quod in hac Latinitate est pro *fundo*. In Indice quem editioni Gromaticorum Rudorffii adiecit Bursian s. v. casalis omnes inveniuntur loci ubi hoc verbum extat cf. e. g. 362, 8.

Etiam *finis* eodem sensu legitur: 320, 25 *fines aspratiles*, etc. imprimis in Innocentii (?) quae dicuntur *casae litterarum*.

Etiam *titulus* nonnumquam in hunc sensum abiit (non enim semper est lapis inscriptus, ut vulgo), sc. 228, 8. 241, 10. 242, 1. 364,3. 401,14. 402, 3.

Quod in vulgari sermone ita saepe terminum indicat, verbum *cippi* scilicet, apud agrimensores bis ita invenitur: 211, 16: *cyppi oleaginei* et 406, 24.

APPENDIX CRITICA.

Quas in superioribus, occasione data, feci emendationes, aut mihi videor fecisse, hic conferam, ut melius perspiciantur. Complures earum ortae sunt ex collatione duorum vel plurium auctorum, qui saepe inter se sunt iunctissimi et iisdem fere verbis nonnumquam utuntur. Obiter observare liceat non ita facile esse emendare auctores tam pravae Latinitatis, apud quos e. g. subjectum quarto, obiectum primo casu posita leguntur, quorum interdum ne sensus quidem constat et saepe prorsus non dici potest quomodo verba quaedam sanari possint. Ibi supervacaneum est aliquid proponere ubi multa alia aeque bona proponi possunt, tum igitur coniectura abstinui ne quisquiliis lectorem morarer.

p. 10, 10 sqq.: *terminum in possessione sua aliter formatum, aut aliter positum quam ceteri qui in ea possessione sunt aut inscriptum, ut adsolet, agit de eo .....*: ex 39, 20 et 70, 20 ubi eadem fere leguntur, apparet et hic esse scribendum: *aut ⟨non⟩ inscriptum, ut adsolet.*

42, 20 et **73, 27** pro *in agro arcifinio* quod legitur, scribendum est *in agro superiore*, vel *superiacente*, ut sensus constet. Ibi enim agitur de superciliis, quae fundamento tenus superior possessor habere debet, *magis certior ratio illa videtur.*

p. 44, 17 sqq. (= **75, 10 sqq.**): *qui autem appellent arbores notatas, scire debemus idioma regionis. qui clavicatas vocant quas finis declarandi denotant*: melius esset verborum ordinem mutare et ita legere: *scire autem debemus idioma regionis, qui appellent arbores notatas, qui clavicatas vocent, quas fînis declarandi causa denotant, ut ....*

140, 7 sqq.: *Aliquando etiam petras occurrentes in finibus notatas invenimus, et quasdam si perseveret rigor, notas habentes,*

in versuris vero gammas, sed spectantes suos rigores. aliquas etiam decusatas invenimus.: *notas* est mutandum, aut in *lineas*, aut scribendum est *nullas*, vel *alias* notas. Hoc enim contextus clare demonstrat. 282, 5 legitur de petris: *iudicanti si petrae naturales occurrunt, ipse naturales petrae pro signis habentur: sed de ipsis exceptae aut decus habent aut lineas.*

De arboribus Siculus Flaccus 144, 21 dicit: *in versuris quae notatae sunt, aut decus in eis inveniuntur aut gammae, ut manifestum sit versuras suis signis observari debere.*

Quidquid igitur legendum videbitur, verbum *notas* falsum est, aut certe non habet vim satis magnam, ita ut adiectivum ei sit addendum.

219, 6: pro: DCCCLX en legendum: DCCCCLX, quam mutationem iam proposui in pag. 72, ubi videndum est.

243,6: *et alii CCXX* movendum est. Et praeterea in versu 9°.: DCCCCLX est legendum pro: DCCCCXL, quae etiam supra (pag. 69) iam probavi.

302, 4 sqq.: *si sunt in montibus lapides tantum modo et non potest in eis fodiri et terminus figi: inductis quadratariis ut firmius esset quod naturaliter dolantes in montibus ex monte terminum eminentem monti constituerent quam si cavarent et sic infigerent lapides finales.* Haec clariorem praebent sensum si legetur: *inductum a quadratariis ut naturaliter dolantes in montibus ex monte terminum eminentem monti constituerent, quod firmius esset, quam si cavarent, cet.*

303, 13 sqq.: *iuxta sepulturam sive buxus sive etiam cineates, aut cacabos invenis aut orcas fractas aut certe integras.* Lachmannus mutat: *sive etiam cinus aut testas aut cacabos*, sed praeterea ratio ipsa indicat esse legendum: *orcas integras aut certe fractas.* Luculentum exemplum horum scriptorum difficultatis habeo 281, 19 199: *nam si superior pars tantum dolata est et inferior subtus inpolita derelicta, cippus ominandus est monumentalis esse, non terminatus.*

Licet hic *ominandus* minus apte dicta sit, tamen in *opinandus* mutare non ausim. Fortasse *subulis* quod legitur 306, 27 sqq.: *terminus si superius politus fuerit, et inferius subulis inpolitus, monumentalis est, non habet fidem finitionis*, etiam in *subtus* est mutandum.

309, 23: *Has litteras si inveneris in terminibus scriptas, singillatim vel binas, quantum compotum habuerit, tantum quaeris ab eo in aliud signum.* Pro *compotum* procul dubio legendum est *compositum* vel *computatum.*

346, 2 sqq.: *nec enim verecundum sit frequenter ad auctorum doctrinam reverti*, mutarem: *ne enim verendum sit* cet.

350, 22 sqq.: *quos* (*sc. Terminos*) *quandoque quis ob avaritiam prope novissimi octavi saeculi data sibi homines dolo malo violabunt contingentque atque movebunt.* Pro: *data sibi* Lachmannus proponit: *lascivi:* melius est *perditissimi.*

Quod 351, 5 sqq. legitur: *tum etiam terra a tempestatibus vel turbinibus plerumque labe movebitur*, mutare in *labefactabitur*, licet sensum reddat meliorem, proponere non ausim.

360, 9 sqq.: *(Terminus) si aliquid fictum habuerit super se, acrum aut plumbum aut stagnum epicteticum, hoc est massatium fabritum, quod est inter censam centuriae.* Hoc si confertur cum 305, 18 sqq.: *Terminus si super se plumbum habuerit stagnum significat aut cisternam*, iam apparet, tali fere modo esse legendum: *si aliquid fictum habuerit super se, acrum aut plumbum epitectum* (cum Bursiano) *hoc est massatium fabritum* (sensus horum verborum barbaricorum constat, sed forma est mirabilis), *aut stagnum ostendit aut cisternam.*

359, 28: *certatio* fortasse in *certa ratio* est mutanda, vide 141, 1, ubi similia leguntur: igitur 359, 27 sqq. ita sunt legenda: *haec signa si inveniuntur, una certa ratio est ad iustitiam antiquitus* cet.

401, 21 et **406, 25** quae leguntur: *calaviones* et *kalafiones*, mutandae sunt in *scorofiones.* Bursian de his verbis dubitavisse videtur quoniam mutatio ei maior erat, sed non credo aliud quidquam his verbis indicari potuisse.

401, 18: inter signa quibus fines indicantur etiam leguntur: *inter voratos ripis* quod fortasse in *perforatis rupibus* est mutandum, i. e. rupes foraminibus praeditae, sicut de arboribus dicitur 282, 8 sqq.: *ante misse vero arbores solent etiam plagatam antiquitus inflexura similem corticibus ostendere cicatricem: licet hae terebris foratam etiam, tornatis intromissis, sicut scribtum a veteribus, habere dicantur.*

Tale quid et in rupibus factum esse potest. 241, 15 qui locus

huic (401, 18 sqq.) est simillimus nullam dat lucem, hic legitur: *ripis, rivis.* Post verba: *arboribus antemissis* (*intactis* 401, 19 praeterea habet) *ut supra dixi*, utrobique sequitur lacuna. Sed pag. 401 plura exhibet vocabula, inter quae in versu 21 haec leguntur: *lacos et legonatos et fabricis constructos calaviones:* fortasse: *ex tegulis fabritiis constructos scorofiones*? cf. 360, 11. In sequenti versu, sc. 402, 1: *et scriptae* mutari posset in *inscriptae*, ita enim legitur 242, 1.

410, 2 sqq.: *iuga montium ex eo nomen accipiuntur quod consignatione ipsa iungantur, et his quae summis montibus excelsissima sunt diversarum aquarum, ex quo summo loco aqua in inferiorem partem devergit.*

Legendum est: *continuatione* et *divergia aquarum*, cf: e. g. 2, 26 sqq. vel 128, 11 sqq: *iugis quoque montium, quae ex eo nomine accipiuntur quod continuatione ipsa iugantur* et 128, 13 sqq.: *nam et his quae summis montibus excelsissima sunt divergia aquarum, ex quo summo loco aqua in inferiorem partem devergit.*

405, 1 et 249, 4: legitur nomen termini *exculinus sive exagineus* (*exagmeus*). Mutandum est: *scalenus sive oxygonius.*

INDEX CAPITUM.

INDEX VERBORUM MEMORABILIUM.

THESES.

THESES.

I.

Aeschyli Eumenidum versus 762 sqq. ita sunt legendi:

762 *ἐγὼ δὲ χώρᾳ τῇδε καὶ τῷ σῷ στρατῷ*
764 *ὁρκωμοτήσας νῦν ἄπειμι πρὸς δόμους*
763 *τὸ λοιπὸν εἰς ἅπαντα πλειστήρη χρόνον*
765 *μήτοι τιν᾽ ἄνδρα δεῦρο πρυμνήτην χθονὸς*
766 *ἐλθόντ᾽ ἐποίσειν εὖ κεκασμένον δόρυ*, cet.

II.

Aeschyli Septem 554 (Dindorff):

ἀνὴρ ἄκομπος, χεὶρ δὲ δρᾷ τὸ δράσιμον
legendum est pro: *χεὶρ δ᾽ ὁρᾷ τὸ δράσιμον.*

III.

Sophoclis Oed. Col. 130 sqq.:

καὶ παραμειβόμεσθ᾽ ἀδέρκτως,
ἀφώνως, ἀλόγως τὸ τᾶς
εὐφάμου στόμα φροντίδος
ἱέντες cet. pro *ἱέντες* legendum: *ἔχοντες.*

IV.

Soph. Electra 1037:

τῷ σῷ δικαίῳ δῆτ᾽ ἐπισπέσθαι με δεῖ;
mutandum est in: *τῷ σοὶ δικαίῳ.*

V.

Soph. Philoct. 1456:

οὗ πολλάκι δὴ τοὐμὸν ἐτέγχθη
κρᾶτ' ἐνδόμυχον πληγαῖσι νότου cet.
legendum est *ἐτέγχθην* pro: *ἐτέγχθη.*

VI.

Euripidis Phoeniss. 1409:

ἀπαλλαγεὶς γὰρ τοῦ παρεστῶτος τρόπου
scribendum est pro: *πόνου.*

VII.

Eur. Ion. 1535 sq.:

. . . . . *καὶ γὰρ ἂν φίλος φίλῳ*
δοίη . . . . ., in *ὥσπερ ἂν* est
mutandum.

VIII.

Thucydidis lib. VI. 17. 3 ita est corrigendum:

ὅ τι δ' ἕκαστος ἢ ἐκ τοῦ λέγων πείθειν
οἴεται ἢ στασιάζων ἀπὸ τοῦ κοινοῦ ⟨ἂν⟩ λαβεῖν,
ἄλλην γῆν, μὴ κατορθώσας, οἰκήσων, ταῦτα
ἑτοιμάζεται. Ubi leguntur *λαβών* et *οἰκήσειν.*

IX.

Taciti Hist. I. 1.: *Nam post conditam urbem octingentos et viginti prioris aevi annos multi auctores rettulerunt* cet. legendum est:

Septingentos et viginti annos.

X.

Tac. Hist. II. 24., pro:

per concursum exploratorum est legendum:
per concursus.

XI.

Tac. Hist. II. 34.: *iactis super ancoris*, explicat Heraeus: *ancoris fundatae*, alii autem: *super* quasi *insuper*, quod verbum etiam in textum recipiunt, sed explicandum est:

in adversum flumen.

XII.

Tac. Ann. XII. 29.: *Sorore* [*Vannii*] *geniti: Vannii* est amovendum.

XIII.

Tac. Ann. XIII. 43.: *ac* [*pecuniae publicae*] *peculatum*, item *pecuniae publicae* delendum est.

XIV.

Tac. Agricola 26. 3.:

ac securi de salute pro gloria certabant, scribendum est pro *securi pro salute de gloria certabant.*

XV.

Tac. Agr. 10. 3.:

Unde et in universum fama est transgressis, legendum: *transgressa.*

XVI.

Iuv. Sat. IX. 87 sq.:

Iura parentis habes, propter me scriberis heres,
Legatum omne capis, nec non et dulce caducum.

a Weidnero non bene explicantur, praesertim quae dicit de *caduco* minus iusta sunt.

XVII.

Suet. Nero. 4: *emptorem familiae* [*pecuniaeque*] est legendum.

XVIII.

Het is verkeerd te beweren, dat men volgens Socrates en Plato nooit in een bijzonder geval zou kunnen zeggen, wat schoon of edel is, zonder dat men vooraf juiste definities van het schoone en het edele verkregen heeft.

XIX.

De door astronomische berekeningen vastgestelde data van historische eclipsen zijn totaal onbetrouwbaar.

XX.

Ten onrechte beweert Dr. C. P. Burger in „Der Kampf zwischen Rom und Samnium" enz., in Verh. der Kon. Akad. v. Wet. te Amst., Afd. Letterk., Nieuwe reeks, Deel II, N°. 2, dat de vrede gesloten na den slag bij den Caudynschen bergpas door de Romeinen is nagekomen.

XXI.

Benedictus Niese (Hermes XXI, pag. 481) heeft ongelijk wanneer hij beweert dat de slag bij Beneventum voor de Romeinen geen beslissende overwinning geweest is.

